



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Qvaestio Qvarta. De modo vnionis ex parte naturæ humanæ assumptæ in
sex articulos diuisa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

Verbum est conceptus aeterna Sapientia, à qua omnis sapientia hominum derivatur. Et idem per hoc homo in sapientia perficitur, quæ est propria eius perfectio, prout est rationalis, quod participat Verbum Dei: sicut discipulus instruitur per hoc, quod recipit Verbum magistri: unde Eccl. 1. dicitur, Fons sapientie Verbum Dei in excelsis. Et idem ad consummatam hominis perfectionem conueniens fuit, ut ipsum Verbum Dei humane naturæ personaliter vniretur.

Secundo potest accipi ratio huius congruentiæ ex fine vniõis, qui est impletio prædestinationis, eorum scilicet, qui præordinati sunt ad hereditatem cælestem, quæ non debetur, nisi filius eius: secundum illud Roman. 8. Si filij, & heredes. Et idem congruum fuit, ut per eum, qui est filius naturalis, homines participarent similitudinem huius filiationis secundum adoptionem: sicut Apostolus ibidem dicit: Quos præsciuit, & prædestin. conformes fieri imagin. filij sui. Tertiò potest accipi ratio huius congruentiæ ex peccato primi parentis, cui per Incarnationem remedium adhibetur. Peccauerat enim primus homo, appetendo scientiam: ut patet ex verbis serpentis promittentis homini scientiam boni & mali. Unde conueniens fuit, ut per Verbum veræ sapientiæ homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum scientiæ recesserat à Deo.

Ad primum ergo dicendum, quod nihil est, quo humana malitia non possit abuti: quando etiam ipsa Dei bonitate abutitur secundum illud Rom. 2. An diuitias bonitatis eius contemnis? Unde etiam si persona Patris fuisset incarnata, potuisset ex hoc homo alicuius erroris occasionem sumere, quasi Filius sufficere non potuisset ad humanam naturam reparandam.

Ad secundum dicendum, quod prima rerum creatio facta est à potentia Dei Patris per Verbum. Unde & recreatio per Verbum fieri debuit à potentia Dei Patris, ut recreatio creationi responderet: secundum illud 2. Corin. 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi.

Ad tertium dicendum, quod Spiritui sancto proprium est, quod sit donum Patris, & Filij. Remissio autem peccatorum fit per Spiritum sanctum, tanquam per donum Dei. Et idem conuenientius fuit ad iustificationem hominum, quod incarnaretur Filius, cuius Spiritus sanctus est donum.

Forma Textus.

CONCL. est: Conuenientissimum fuit, personam Verbi incarnari. Probatur tripliciter: primo ex parte vniõis; quia ea quæ similia sunt conuenienter vniuntur; sed persona Filij qui est Verbum Dei habet conuenientiam seu similitudinē, vno quidem modo communem ad totam creaturam: alio verò modo specialem cum humana natura; ergo conuenientissimum fuit, &c. Maior patet. Minor quoad primam partem probatur; quia Verbum artificis, id est conceptus eius est similitudo exemplaris eorum, quæ ab artifice fiunt; ergo Verbum Dei, quod est æternus conceptus eius, est similitudo exemplaris totius creaturæ. Ex qua probatione deducit S. D. aliam probationem conclusionis: quoniam artifex per formam artis conceptam, qua artificiatum condidit, ipsū si collapsū fuerit restaurat; ergo sicut per participationem dictæ similitudinis exemplaris, quæ est Verbum Dei, creature sunt in proprijs speciebus institutæ sed mobiliter; ita per vniõem Verbi ad creaturam non participatam sed personalem conueniens fuit reparari creaturam in ordine ad æternam & immobilem perfectionem. Secundo probatur eadem minor, quoad secundam partem; Quia per hoc homo in sapientia perficitur, quæ est propria eius perfectio, prout est rationalis,

A quod participat Verbum Dei; ergo ad cōsummatam hominis perfectionem conueniens fuit, ut ipsum Verbum Dei humane naturæ personaliter vniretur. Antecedens probatur tripliciter. Primo: quia Verbum est conceptus æternæ sapientiæ à qua omnis sapientia hominum derivatur; ergo. Secundo probatur à simili; quia discipulus instruitur per hoc quod recipit Verbum magistri. Tertiò autoritate Scripturæ Eccl. 1. dicētis: Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis. Secundo probatur conclusio. Ex fine vniõis, qui est impletio prædestinationis, eorum scilicet, qui prædestinati sunt ad hereditatem cælestem; Quoniam hereditas cælestis non debetur, nisi filijs Dei; ergo cōgruum fuit ut per eū qui est filius naturalis homines participaret similitudinē huius filiationis secundum adoptionem. Antecedens probatur ex Apost. ad Rom. 8. cap. dicente: Si filij, & heredes. Consequentia verò probatur autoritate eiusdē Apost. ibidem dicentis: Quos præsciuit, & prædestinavit conformes fieri imagin. filij sui. Tertiò probatur conclusio ex parte peccati primi parentis, cui per Incarnationem remedium adhibetur: Quoniam homo peccauerat appetendo scientiam; ergo conueniens fuit, ut homo qui per inordinatum appetitum scientiæ recesserat à Deo reduceretur in Deum per verbum veræ sapientiæ.

Expositio Textus.

VIDE si placet formam, quam adhibet Caiet. discursui præsentis. & ea, quæ circa probationes conclusionis aduertit Med. & loca Patrum quæ notat Vafq.

QVAESTIO QVARTA.

De modo vniõis ex parte naturæ humane assumptæ in sex articulos diuisa.

DEinde considerandum est de vniõne ex parte assumpti. Circa quod primo considerandum occurrat de his, quæ sunt à Verbo assumpta. Secundo, de coassumptis, quæ sunt perfectiones & defectus. Assumpsit autem Dei filius humanam naturam & partes eius.

Vnde circa primum triplex consideratio occurrat. Prima est quantum ad ipsam naturam humanam. Secunda est quantum ad partes ipsius. Tertia quantum ad ordinem assumptionis.

Circa primum queruntur sex.

Primo, vtrum humana natura fuerit magis assumptibilis à Filio Dei, quam aliqua alia natura.

Secundo, vtrum assumpsit personam.

Tertiò, vtrum assumpsit hominem.

Quarto, vtrum fuisse conueniens, quod assumpsisset naturam humanam à singularibus separatam.

Quinto, vtrum fuisse conueniens, quod assumpsisset humanam naturam in omnibus eius singularibus.

Sexto, vtrum fuerit conueniens, quod assumeret humanam naturam in aliquo homine ex stirpe Adæ progenito.

Ratio ordinis.

QVÆSTIO hæc est de modo vniõis hypostatice ex parte naturæ humane: & primo quo ad ipsam naturam. Secundo quo ad modos essendi aut concipiendi eidem conuenientes & eius originem. Circa primum: querit primo S. D. de assumptibilitate humane naturæ, non curando vtrum sit personata nec ne. Secundo agit de eadem natura quatenus est personata. Tertiò mouet quæsitum de modo loquendi: An scilicet Deus assumpsit hominem Cuius

ius determinatio ex secundi quaestii resolutione dependet. Circa secundum autem quaeritur primò de natura à singularibus separata: illa enim secundum Platonem est ante singularia. Secundò quaeritur de ea, ut habet esse in omnibus suis singularibus. Demum agit de illa, quo ad eius originem & consequenter etiam, quo ad statum in ultimo articulo: hæc enim sunt magis extrinseca.

ARTICVLVS I.

Utrum natura humana fuerit magis assumptibilis à Filio Dei, quam alia natura.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod humana natura non fuerit magis assumptibilis à filio Dei, quam quilibet alia natura. Dicit enim Augustinus in epist. ad Volusianum, in rebus mirabiliter factis tota ratio facti, est potentia facientis. Sed potentia Dei facientis Incarnationem, que est opus maxime mirabile, non limitatur ad unam naturam: cum potentia Dei sit infinita. Ergo natura humana non est magis assumptibilis à Deo, quam aliqua alia creatura.

Præterea, Similitudo est ratio faciens ad congruitatem Incarnationis diuine persone: ut supra dictum est. Sed, sicut in creatura rationali inuenitur similitudo imaginis, ita in creatura irrationali inuenitur similitudo vestigi. Ergo creatura irrationalis assumptibilis fuit, sicut humana natura.

Præterea, In natura Angelica inuenitur expressio Dei similitudo, quam in natura humana: sicut Gregorius dicit in homilia de centum ouibus, introducens illud Ezech. 28. Tu signaculum similitudinis. Inuenitur etiam in Angelo peccatum, sicut in homine: secundum illud Iob 4. In Angelis suis reperit prauitatem; ergo natura Angelica fuit ita assumptibilis, sicut natura hominis.

Præterea, Cum Deo competat summa perfectio, tanto magis est Deo aliquid simile, quanto est magis perfectum. Sed totum vniuersum est magis perfectum, quam partes eius, inter quas est humana natura; ergo totum vniuersum est magis assumptibile, quam humana natura.

Sed contra est, quod dicitur Proverbia 8. ex ore Sapientie genita Delicia mea esse cum filiis hominum. Et ita videtur esse quadam congruentia vnionis Filij Dei ad humanam naturam.

Respondeo dicendum, quod aliquid assumptibile dicitur, quasi aptum assumi à diuina persona. Quia quidem aptitudo non potest intelligi secundum potentiam passiuam naturalem: quia non se extendit ad id, quod transcendit ordinem naturalem, quem transcendit vnio personalis creaturae ad Deum. Vnde relinquitur, quod assumptibile aliquid dicatur, secundum congruentiam ad vnionem prædictam. Quia quidem congruentia attenditur secundum duo in humana natura, scilicet secundum eius dignitatem, & necessitatem. Secundum dignitatem quidem, quia humana natura, in quantum est rationalis, & intellectualis, nata est contingere aliquatenus ipsum Verbum per suam operationem, cognoscendo scilicet & amando ipsum. Secundum necessitatem autem, quia indigebat reparatione, cum subiaceret originali peccato. Hæc autem duo soli humana natura conueniunt: nam creatura irrationali deest congruitas dignitatis: natura autem Angelica deest congruitas prædicta necessitatis. Vnde relinquitur, quod sola natura humana sit assumptibilis.

Ad primum ergo dicendum, quod creaturae denominantur aliquales ex eo, quod competit eis secundum proprias causas: non autem ex eo, quod conuenit eis secundum causas primas, & vniuersales: sicut

A dicimus aliquem morbum incurabilem, non quia non potest curari à Deo, sed quia per propria principia subiecti curari non potest. Sic ergo dicitur aliqua creatura non esse assumptibilis, non ad subtrahendum aliquid potentie diuine, sed ad ostendendum conditionem creaturae, quæ ad hoc aptitudinem non habet.

Ad secundum dicendum, quod similitudo imaginis attenditur in natura humana secundum quod est capax Dei, scilicet ipsum attingendo propria operatione cognitionis, & amoris. Similitudo autem vestigi attenditur solum secundum representationem aliquam, ex impressione diuina in creatura existentem: non autem ex eo, quod creatura irrationalis, in qua est solatilis similitudo, possit Deum attingere per solam suam operationem. Quod autem deficit à minori, non habet congruitatem ad id, quod est maius: sicut corpus, quod non est aptum perfici anima sensitiua multo minus est aptum perfici anima intellectiua. Multo autem maior, & perfectior est vnio ad Deum secundum esse personale, quam quæ est secundum operationem. Et ideo creatura irrationalis, quæ deficit ab vnione ad Deum per operationem, non habet congruitatem, ut vnietur ei secundum esse personale.

Ad tertium dicendum, quod quidam dicunt Angelum non esse assumptibilem: quia à principio sue creationis est in sua personalitate perfectus, cum non subiacet generationi, & corruptioni. Vnde non posset in vnitatem diuine persone assumi: nisi eius personalitas destrueretur: quod neque conuenit incorruptibilitati nature eius, neque bonitati assumentis: ad quam non pertinet, quod aliquid perfectionis in creatura assumpta corrumpat. Sed hoc non videtur excludere totam congruitatem assumptionis angelicæ nature: potest enim Deus producendo nouam angelicam naturam, copulare eam sibi in vnitate persone: & sic nihil præexistens ibi corrumpetur. Sed, sicut dictum est, deest congruitas ex parte necessitatis: quia, etsi natura angelica in aliquibus peccato subiacet, est tamen eius peccatum irremediabile, ut in prima parte habitum est.

Ad quartum dicendum, quod perfectio vniuersi non est perfectio vnus persone, vel suppositi: Sed est vnus, quod est vnum positione, vel ordine, cuius plurius partes, non sunt assumptibiles, ut dictum est. Vnde relinquitur, quod solum natura humana sit assumptibilis.

Sensus quaestii.

ITVLVM explicat Cai. ex littera D. Tho. & post eum Suar. vberissime.

Forma Textus.

CONCLUSIO est: Sola natura humana est assumptibilis. Probatur: quia assumptibile aliquid dicitur secundum congruentiam ad vnionem cum diuina persona; sed hæc congruentia soli humanæ nature conuenit; ergo. Maior probatur; quoniam aliquid assumptibile dicitur, quasi aptum natum assumi, quæ quidem aptitudo non potest intelligi secundum potentiam passiuam naturalem; ergo assumptibile aliquid dicitur secundum congruentiam ad vnionem prædictam. Antecedens probatur: quia potentia passiuæ naturalis non se extendit ad id, quod transcendit ordinem naturalem; at vnio personalis creaturae ad Deum transcendit ordinem naturalem; ergo dicta aptitudo non potest intelligi secundum potentiam passiuam naturalem. Minor verò principalis argumenti, quæ ob conditionem illam exclusiuam, solus, duas habet expositiones: alteram affirmatiuam, scilicet humana natura est assumptibilis; & alteram negatiuam,

Y 3

sci-

scilicet nulla alia natura est assumptibilis. Probat^r primò quo ad exponentem affirmatiuam, & primò quoad congruitatem dignitatis; quia humana natura, in quantum est rationalis & intellectualis, nata est cōtingere aliquāliter ipsū Verbum per suam operationē cognoscendo & amādo ipsū. Secūdo quoad congruitatē necessitatis; quia indigebat reparatione; ergò. Probat^r hoc assumptum; quia subiacebat originali peccatō. Deinde probatur eadem minor, quo ad exponentem negatiuam: Quia creaturā irrationali deest congruitas dignitatis: naturā autem Angelicā deest congruitas prædictæ necessitatis; ergò.

Expositio Textus.

MULTA sunt in hoc textu breuiter & absque disputatione declaranda. Primum est vis illius consequentiæ in probatione maioris, videlicet, *aptitudo ad assumi non potest intelligi secundum potentiam passiua naturalem; ergò assumptibile aliquid dicitur secundum congruentiam ad vnionem*: Falsa enim videtur hæc consequentia; quia potest attendi secundum potentiam obedientiæ. Sed huius consequentiæ vim aperit S. D. ad 1. dicens, creaturas denominari aliquales ex eo, quod competit illis secundum proprias causas; non autem ex eo, quod competit illis secundum causas primas & vniuersales: sicut dicimus aliquem morbum esse incurabilem; non quia non potest curari à Deo; sed quia per propria principia subiecti curari non potest, quod dictum, vt indicat exemplum morbi, non omninò absolute sed limitatè intelligendum est: quando scilicet oppositæ denominationes conueniunt creaturis secundum proprias & secundum primas causas: tunc enim secundum propriam causam denominantur simpliciter aliquales: secundum primam verò causam denominantur aliquales cum addito: puta, morbus, quia ex propria causa simpliciter est incurabilis, dicitur secundum primam causam curabilis, cum hoc addito scilicet per Dei potentiam. Sic igitur in proposito creaturæ dicuntur simpliciter assumptibiles secundum propriam causam, scilicet congruitatem prædictam; quæ verò ea carent, dicuntur simpliciter inassumptibiles: cum tamen omnes secundum primam causam dicantur assumptibiles cum hoc addito, scilicet per Dei potentiam, vel per potentiam obedientiæ, quæ respondet omnipotentia Dei: & ideo ad eiusdem rationis denominationem pertinet. Quamuis enim assumptibile dicatur tantum in ordine ad Deum; attendi tamen potest ex parte naturæ creatæ congruentia quædam, aut incongruentia secundum illius propria: & secundum illam dicitur assumptibilis, & secundum hanc inassumptibilis; cum tamen opposito modo secundum Dei potentiam sit denominabilis; quia secundum eam omnis natura est assumptibilis. Ad rationem igitur in oppositum dico, bonam esse consequentiam illam; quia consequens eius loquitur de assumptibili simpliciter, id est sine addito: hoc autem non dicitur secundum potentiam obedientiæ præcisè sumptam; sed secundum congruitatem vt hic etiam aduertit Caietan. Vide etiam Med. dub. 3.

Secundum est dictum illud in probatione minoris: *natura Angelicā deest congruitas necessitatis*: ex quo deducit S. D. naturam Angelicam non habere, simpliciter loquendo, congruitatem ad vnionem. Circa quod obseruandum est, maximam esse in Angelica natura lapsa reparatione;

nis indigentiam & necessitatem; quia tamen ea necessitas non habet congruitatem ad reparationem, eò quod peccatum eius est irreparabile: ideo S. D. ait deesse illi congruitatem necessitatis, & consequenter etiam in Angelica natura non esse congruitatem ad vnionem absolute loquendo; quia congruentia ad vnionem hypostaticam cum diuina persona ex vtraque simul sumpta conditione confurgit, scilicet ex dignitate & necessitate, seu indigentia reparabili, vt expressè docet sanctus Thomas hic ad 3. licet, oppositum illi tribuat Suarez absque fundamento.

Tertium est illa propositio: *potentia passiua naturalis non se extendit ad id, quod transcendit ordinem naturalem*: ex qua patet secundum mentem D. Tho. nullam esse in intellectu nostro potentiam naturalem ad visionem Dei supernaturalem.

Quartum est, principium illud in respon. ad 2. *Quod non potest in maius, non potest in minus*: non est enim accipiendum vniuersaliter & absolute sed limitatè: quo ad ea scilicet, quæ ita se habent, tanquam maius & minus, vt sint ad inuicem subordinata, vt patet in exemplo quod affert S. D. de anima sensitiua & intellectiua: constat autem, visionem Dei & vnionem personalem esse per se subordinata, quo ad congruitatem, quamuis non quoad capacitatem: & ideo creatura deficiens à visione quæ minor vnio est, non habet congruitatem ad vnionem personalem, quæ maior est. Sed quia visio & vnio personalis non sunt subordinata, quo ad capacitatem; ideo creaturæ omnes capaces sunt vnionis cum Deo personalis; non omnes autem sunt capaces visionis essentia Dei.

Quintum est illa propositio in eadem resp. ad 2. videlicet: *Multò maior & perfectior est vnio ad Deum, secundum esse personale, quam quæ est secundum operationem*. Cuius probatio optima est, quam affert Caietanus, quia scilicet vnio personalis confert vnio perfectius esse, scilicet esse Deum secundum substantiam, id est hypostasim; non autem secundum accidentia, vt sunt operationes intellectus & voluntatis, quibus Deum attingimus & eo fruimur. Quamuis enim ad actum visionis plus nobilitatis exigatur ex parte naturæ, quam ad vnionem hypostaticam cum diuina persona; quoniam ad illum exigatur natura & operatio intellectualis, quæ ad vnionem hanc hypostaticam non sunt necessaria; longè tamen maior est vnio hypostatica, siue esse personale, quod creaturæ potest à Deo conferri secundum eius naturam, quam visio beatifica & quodcunque aliud, quod possit à Deo creaturæ conferri secundum eius operationem; quia secundum hanc non potest eis conferri esse substantiale personale; sed esse tantum accidentale. Vide Cai. hic in resp. ad 2. & Med. dub. 2.

Postremò, Vide, si placet apud Med. dubit. vltimam in eius Com. in qua propositis argumentis disputat: *An sit maior gratia, Deum esse hominem, quam Deum se nobis in cibum, & potum dedisse in Eucharistia?* Cui dubitationi non minus eleganter, quam eruditè satisfacit.

CONTROVERSIA VNICA.

An quelibet substantialis vel etiam accidentalis natura assumi possit à diuina persona?

SEX HOC VNO quæsto quæstiones continetur. PRIMA est: de substantia spiritali completa, quæ est Angelus. SECUNDA est de substantia corporea irrationali. TERTIA est de partibus integralibus. QUARTA est de sola forma dictæ substantiæ. QUINTA est de sola materia prima. SEXTA est de accidentibus: circa quæ singula variæ sunt tam antiquorum, quam recentiorum doctorum opiniones.

Est igitur PRIMA QVAESTIO: An Angelica natura sit assumptibilis à diuina persona? Cuius quæstionis partem negantem tuctur Alb. cognomēto Magnus in 3. dist. 2. a. 2. In quam sententiam nititur Vafq. dist. 30. c. 4. trahere D. Thom. cū tamen, (vt idem ait) in solutione 3. S. D. videatur oppositum significare.

S. Th. in 3. dist. 2. q. 1. a. 1. q. 2. docet Angelicam naturam esse à diuina persona assumptibilem secundum Dei potentiam absolutam: quod etiam affirmat eadem dist. ad Anibal. & in 4. contra gent. cap. 55. & idem non obscure significat in hoc art. Quam sententiam sequuntur omnes eius discipuli, & est communis opinio Theologorum. Ferrar. in dicto c. 55. §. Circa secundam rationem duo dicit. Primum est: Ex hoc, quod in Angelis non sit distinctio naturæ à persona, non tolli quin absolute possit Deus assumere naturam Angelicam in vnitatem personæ. Secundum est: posse Deum nouam naturam Angelicam producendo eam sibi in vnitatem personæ copulare, & etiam posse aliquam naturam Angelicam nunc existentem propria existentia priuare & propria personalitate & eam ad se in vnitatem personæ trahere. Quem dicēdi modum impugnat Suar. dist. 14. scilicet. 2.

CONSIDERANDUM est primum ex D. Th. in 3. dist. 1. q. 2. a. 3. dupliciter aliquid dici Deo possibile: Vno modo secundum potentiam absolutam: Alio modo secundum potentiam ordinatam. Si namque possibile dicatur aliquid, quia subest diuine potentie secundum se, & precise considerata, dicitur illud esse Deo possibile secundum eius potentiam absolutam. Si verò dicatur aliquid esse possibile, quia subest diuine potentie vt operati ex directione sapientie & imperio, seu motione voluntatis, dicitur illud esse Deo possibile secundum eius potentiam ordinatam, vt autem ait S. D. in eodem libro dist. 2. q. 1. a. 1. secundum Dei potentiam absolutam vna creatura non est magis assumptibilis, quam altera; quia in omnibus æquæ potentia est obedientialis, secundum quam in creatura fieri potest, quicquid in ea facere potest Deus: secundum potentiam verò Dei ordinatam Deus illam tantum creaturam potest assumere, quam congruit eum assumere ex ordine suæ sapientie: & ideo ea tantum creatura dicitur assumptibilis (intellige simpliciter, id est sine addito) in qua huiusmodi congruitas inuenitur.

Secundū sciendum est, in Angelis distingui realiter & intrinsece suppositum à natura vt in articulo sequenti probat latissime Caiet. de qua re prolixam scripsimus Controuerliam in 1. p. quæst. 50. art. 2. Sed posita etiam in Angelo identitate reā naturæ cum supposito sola inter hæc duo distinguere

A natura rei, adhuc Angeli natura esset assumptibilis à diuina persona, vt scitè Ferr. affirmat in supposito à natura. allegato cap. 55. Cuius tamen dicti nullam rationem assignat: sic tamen explicari potest & probari: Nam in albedine decem graduum quilibet gradus idem est realiter cum albedine & cum alio gradu; quia gradus illi omnes sunt vna simplex qualitas; & tamen non solum per Dei potentiam sed etiam virtute naturalis agentis, potest decimus gradus ab albedine separari, manente albedine nouem graduum, quam iterum posset Deus ad pristinum complementum perducere creato aut quouis alio modo producto nouo albedinis gradu & nouem gradibus addito; aut etiam eandem albedinem alteri albedini perfectissimæ in eodem subiecto copulando. Similiter igitur in proposito posset Deus complementum illud siue terminum Angelicæ naturæ, qui est eius personalitas, ab ea separare manente sola natura, quo ad ea omnia quæ ad eius essentiam pertinent, & naturam hanc ad vnitatem suæ personalitatis assumere; ita vt natura quæ per intrinsecum, id est connaturale & vnum cum ea realiter complementum, erat per se subsistens in semetipsa veluti quoddam totum, fieret in alio, scilicet in diuina persona, subsistens, supplente per excellentiam diuina personalitate perfectionem ac munus ablata ab ea natura subsistentiæ. Et eadem ratione posset Deus naturam aliquam Angelicam absque personalitate de nouo creare & eam sibi in vnitatem personæ copulare. Posse autem Angelicam naturam impedita vel ablata seu destructa eius personalitate diuinæ personæ coniungi in vnitatem suppositi, docet aperte S. Thom. in 3. dist. 2. quæst. 1. art. 1. quæst. 2. & ad Anib. eadem dist. q. vnica, & in 4. contra gent. c. 55. Quam sententiam hic etiam exprimentur responsiones ad primum & ad tertium simul coniunctæ: nam ex responsione ad primum argumentū collata manifestè colligitur assumptibile duplicem habere respectum, alterum ad primam & vniuersalem causam, cuius omnipotentia extenditur ad omne possibile: alterum ad proprias causas seu magis condiciones rei, quæ est assumptibilis & quasdam creaturas, puta Angelicam & irrationalem dici inassumptibiles respectu conditionum talibus creaturis conuenientium: quæ tamen non sunt inassumptibiles in ordine ad diuinam omnipotentiam. Ex quo sequitur respectu huius dici posse assumptibiles, cum hoc addito tamen, scilicet per diuinam omnipotentiam. In responsione verò ad tertium perspicue docet posse Deum producendo nouam Angelicam naturam sibi in vnitatem personæ copulare, solamque negat ab ea congruitatem. Eandem veritatem non obscure significat Apost. ad Heb. 2. cum de Filio loquens, ait: Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit. Quibus verbis supponit Apost. Angelicam à Verbo naturam assumi potuisse, vt patet ex cōmuni Doctorum expositione ac præsertim Glossæ & Primarij.

PRIMA CONC. Deus ex absoluta sua potentia oblatione, assumere potuit Angelicam naturam. Probatur hæc deductæ conclusio. Primo; quia in Angelo distinguitur realiter suppositum à natura; ergo: Pro hac conclusione facit eorum Patrum & Scholasticorum sententia, quæ dicit Angelum peccasse appetendo vniōem hypostaticam cum Verbo: de qua 1. p. q. 64.

SECUNDA CONCL. Tametsi non distinguere-
tur realiter in Angelis suppositum à natura, posset as-
sumi à Deo Angelica natura. Probatur; quia
posset

posset impediri vel auferri ab ea propria personalitas, vt ostendimus; ergo: Deinde si personalitas in Angelo distingueretur sicut modus rei à re, hoc ipso natura definirer esse persona, quod iam non in se ipsa sed in alio scilicet in diuina persona, subsisteret.

TERTIA CONCL. D. Th. non solum alibi, sed etiam in hoc a. docet assumi posse naturam Angelicam à diuina persona.

Argumenta & solutio nes. CONTRA primam concl. sunt argum. quæ referunt & soluunt Med. dub. 1. super hoc art. Val. puncto 1. argum. 4. Suarez disput. 14. sect. 2. Aluar. disputatione 22.

Obi Suarez. CONTRA secundam concl. argum. Suar. Primò: Si persona Angeli non distinguitur à natura; ergo personalitas Angeli nihil est præter ipsam naturam; ergo non potest ea priuari. Resp. distinctionem illam præter positam in consequente primæ consequentiæ dupliciter intelligi posset Vno modo, vt denotet distinctionem realem personalitatis Angeli à natura, & ita vera tunc esset illa prima consequentia, sed secunda falsa est vt patet ex dictis: Alio modo, vt denotet distinctionem formalem actuale seu ex natura rei, & ita negatur prima consequentia; quia nostra conclusio est de sola indistinctione reali. Secundò negatur vltima consequentia; quoniam hoc ipso, quod assumeretur definirer esse persona.

Solutio. Secundò: si ad hanc assumptionem nõ esset necessaria distinctio suppositi à natura, nunquàm propter hoc mysterium SS. Patres & Theologi hanc distinctionem docuissent; ergo. Resp. primò, non omnes SS. Patres docuisse distinctionem realem & intrinsecam inter suppositum & naturam in Angelo, sed plures oppositum significasse cum Aristot. Secundò dico multos quidem docuisse distinctionem, sed non affirmasse eam esse realem. Tertiò dico distinctionem aliquam saltem ex natura rei conferre ad melius intelligendum fuisse Deo possibile naturam Angeli sibi in vnitatem personæ copulare.

Obiectio 3. Aluar. CONTRA eandem concl. argum. Aluar. quia sequeretur vt eo ipso quod vnio hypostatica fieret ex parte naturæ, ita vt natura Angeli vnatur personæ Verbi, deberet etiam vniri secundariò personæ Verbi suppositum ipsius Angeli, quod est impossibile. Probatur sequela: nam vnio humanitatis non potest fieri in persona Verbi; quin secundariò fiat in natura diuina; ergo si natura & suppositum sola ratione distinguerentur in Angelis, implicaret contradictionem, quod Verbum diuinum vniretur immediatè naturæ Angelicæ, & non mediatè & secundariò vniretur eius supposito. Resp. nullam esse consequentiam. Ad eius probationem dico falsam esse consequentiam; quia longè dispar est ratio de hac & de illa vnione; quoniam in vnione Verbi cum humana natura remanet actu ratio personæ Verbi & ratio naturæ diuine; & ideo facta vnione personæ cum humanitate vnitur etiam eidem secundariò natura diuina; sed in vnione diuinæ personæ cum Angelica natura non remaneret actu personalitas assumptæ naturæ, sed hoc ipso definirer esse, quod ea natura non in se ipsa, sed in persona diuina subsisteret, vt ante diximus.

CONTRA vltimam concl. assumit Vafq. cap. 4. argumentum ex Caiet. in prima dubitatione, & ex Med. dub. 3. Cui iam plenè satisfecerant hi duo expolitores, & cum nihil afferat noui, nisi verba prætereo.

Obiectio 2. Quæstio secunda. An persona diuina possit assumere ad vnitatem suam substantiam personalem naturam irrationalem.

Solutio. Plures antiqui scriptores magni nominis existimarunt, nec per infinitam Dei potentiam effici posse, vt irrationalem natura Deo in vnitatem personæ copuletur, nisi habeat ordinem ad rationalem naturam, vt eximant Christi corpus in triduo mortis, quod necessariò credendum est; in eo etiam triduo vnium cum diuina persona mansisse. Hi verò sunt Alex. Al. in sua 3. p. q. 2. meib. 7. & q. 11. meib. 1. & q. 12. meib. 1. a. 1. S. Bon. in 3. distinct. 2. a. 1. q. 1. Henr. quodl. 13. q. 5. Io. Picus in Apol. de defensione quartæ propositionis. Sed oppositam sententiam tuetur S. D. in 3. dist. 2. q. 1. a. 1. q. 1. Quem sequuntur omnes eius discipuli: quorum princeps Capr. in 3. dist. 2. q. vnica longam instituit disput. Eandem sententiam secuti sunt in eadem dist. Scotus, Palud Dur. Mar. filius, Ocham & alij. Quidam autem vtramque sententiam existimant esse probabilem, vt Ricardus in 3. dist. 2. art. 1. quæst. 4. Gab. ibidem q. 2. art. 1. & 2.

RESOLVTIO.

Posse diuinam personam per absolutam sui potentiam assumere naturam irrationalem ad vnitatem suam substantiam.

IN H A C quæstione præ oculis habendum est documentum Caiet. nimirum vt in materia viliorum creaturarum & eorum etiam, quæ suppositalem hanc vnionem consequerentur sobrie ac sine piarum aurium offensione loquamur. Deinde cauendum est, ne sententiam oppositam acquiri, quam par est censura notemus; quamuis enim haud vera doceant & minime consonè loquantur eius defensores, non tamen apertè conuincuntur in hoc à fidei veritate deriuare: ea namque limitatio, nisi habeat ordinem ad rationalem naturam, satis excusare videtur eos ab hæresi.

Tertiò Videnda sunt, quæ pro sententia D. Th. confirmanda scribunt Med. dub. 1. & post eum melius ac latius Suar. disp. 14. sect. 2. §. Dico secundò, & Vafq. disp. 30. c. 2. Aluar. disput. 22. conclus. 2. loca Patrum pro eadem sententia refert Vafq. loco notato.

Quartò notandum est ex D. Th. in 3. dist. 2. q. 1. a. 1. q. 1. ad 1. Si Verbum assumeret naturam irrationalem, puta lapidem aut Leonem vnio tunc non esset in persona formaliter vt persona est, sed in persona vt hypostasis vel suppositum est. Cuius ratio est; quia persona super hypostasim non addit nisi determinatam naturam scilicet rationalem, vt ex Boetio docuit supra S. D. q. 2. a. 1. conueniunt igitur persona & suppositum in ratione substantiæ; si igitur assumpta natura fuerit rationalis; ac proinde capax personalitatis, dicitur vnio Verbi seu personæ diuinæ cū tali natura facta esse, non solum in substantia Verbi aut diuinæ personæ, sed etiam in personalitate vt personalitas est: si verò assumpta natura fuerit irrationalis atque ideo personalitatis incapax, dicitur esse facta secundum substantiam; non autem secundum personalitatem formaliter vt personalitas est, vt etiam aduertunt Suar. & Aluar.

Quintò obseruandum est, differentiam esse inter formam & personalitatem, quod forma vnitæ materiæ dat esse specificum & essentiale compositum; ex quo sequitur esse existentiam in rerum natura; & quia est primum principium operationis dicitur etiam conferre operationem. Quod fit vt si cui naturæ repugnet operatio alicuius formæ, repugnet etiam illa forma: Exempli gratia

tia, naturæ terræ repugnat motus sursum naturalis, & ideo repugnat ei forma ignis: & naturæ Leonis aut Afini repugnat discursus: & ideo repugnat ei anima rationalis. Personalitas autem nullum confert esse specificum essentiale supposito vel naturæ, sed solum dat ei subsistere, quod ex sui ratione nullius est operationis principium propriè loquendo, quamvis operationibus voluntarijs infinitam in genere moris conferat dignitatem & assumptæ ac vnitæ naturæ præstet, ut assumi possit à Deo, veluti instrumentum cōiunctum ad patranda miracula. Quamvis igitur irrationalis naturæ non sit capax diuinæ visionis & fructuionis, eo quod hæc operatio fundetur in gratia, quæ participatio quædam est diuinæ naturæ, quæ proprium principium est dictæ operationis; quia tamen naturaliter continet ei subsistentia, potentiam habet obedientialem, & capacitatem ut per Dei potentiam absolutam eleuetur ad vnitatem diuinæ subsistentiæ.

Sextò considerandum est, ex vñione hypostatica diuinæ personæ cum humana natura duplicè ipsi humanæ naturæ sanctificationem acquiri; quarum altera nuncupatur Deificatio, quæ est veluti effectus formalis huius vñionis, quatenus vñio hypostatica est: per hanc enim assumptæ naturæ concrete sumptæ communicantur idiomata diuinæ naturæ pariter in concreto sumptæ; & ideo necesse est ut hoc modo seu genere sanctificationis, quæcumque natura siue rationalis siue irrationalis fuerit assumpta ad vnitatem diuinæ substantiæ, sanctificetur. Altera eiusdem humanæ naturæ sanctificatio in eam ex vñione deriuata est, quæ sit per gratiam & iustitiam ac rectitudinem inhærentem & eius operationes informantem ac dirigentem, & hæc soli potest humanæ naturæ conuenire; quia sola hæc est gratiæ & iustitiæ capax.

Vltimò aduerendum est ex negatione congruentiæ quæ deficit irrationali naturæ, non rectè deduci indecentiam ex parte diuinæ personæ; quia si Deus vñi tali naturæ personaliter iungeretur, nihil faceret virtuti aut rectitudini contrarium, nec illi modus aut ratio deesset, propter quam sapienter ac decenter id faceret, ut expresse docet Tertullianus in lib. de Carne Christi, cap. 4. Vbi contra Marcionem asserentem indignum esse Deo terrestre corpus assumere, sic loquitur: Ita videbitur, si res humano sensu ponderetur, non autem, si diuino, quia stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes. & idem esset, si de Lupa, seu de Vacca prodire voluisset, & fera, aut pecoris corpore indutus regnum Cælorum prædicaret, tua opinio illi censuræ præscriberet, turpe hoc Deo, & indignum Dei filio, & stultum: propterea, qui ita credat, sit plane stultus. si de nostro sensu iudicemus Deum. Sed circumspice Marcion (si tamen non delect.) stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes.

Ex dictis sequitur hæc VNICA CONC. Persona diuina potest per absolutam Dei potentiam assumere naturam irrationalem. Probatio huius conclusionis potissima est; quoniā illud omne Deo possibile est, quod non implicat contradictionem; sed Deum assumere naturam irrationalem non implicat contradictionem; ergò. Maior est D. Thom. 1. p. quest. 25. art. 3. & est communis confessio Theologorum: Minor verò probatur dupliciter; primo: quia nulla est implicantia ex parte personæ assumptæ: hæc enim ut supra suo loco probauimus infinita est, non solum in causando; sed etiam in terminando, neque etiam implicat ex parte naturæ insensibilis; quoniam ut ante diximus, natura quælibet substantia-

lis creata propriam naturaliter habet subsistentiam, sicut etiam rationalis natura; ergò sicut hæc potentiam habet obedientialem, ut impediri possit à propria subsistentia, & diuina personalitate subsistere: sic illa eandem habebit obedientialem potetiam, ut scilicet impediri à propria & terminari diuina valeat subsistentia. Secundò probatur eadem minor; quia Christi cadauer insensibile in triduo mortis fuit vñitum hypostaticè Verbo Dei. Nec valet responsio Henrici dicentis, cadauer hominis habere ordinem ad animam rationalem. Primò: quia ordo ille non est ordo naturalis, neque realis sed magis rationis. Secundò, quia persona Verbi tunc erat vñita cadaueri, quatenus tale prout scilicet formam habebat cadaueris: sic autem non ordinabatur ad animam; ergò non implicat contradictionem, ut quæuis alia natura insensibilis assumatur à Verbo, aut ab alia diuina persona.

CONTRA conclusionem sunt argumenta. Argum. 1. quæ referunt & soluunt Capreolus in 3. dist. solutiones. 2. quest. vnica. Med na super hoc artic. dubio primo Valentia puncto primo Suarez disput. 14. sect. 2. Vasquez disput. 30. & Aluarez disput. 32. Quæ ferè omnia ex supra notatis facillè poterunt expediri.

QVAESTIO TERTIA. An vna sola pars integralis possit assumi?

Quaestio hæc est de parte, quæ sit actu pars per actuaalem vñionem cum alijs in toto; nam quæ diuisa est, iā non est pars sed completa substantia per se subsistens.

Partem affirmantem tuentur Med. dubio 1. Suar. disp. 4. sect. 3. Aluar. disp. 22. concl. 4. Sed ea quæ negat, longè mihi probabilior est; quoniam hoc ipso quod pars in toto ceteris est vñita, vnā simul cum eis constituit substantiam completam, cui per se primò conuenit subsistere & per ipsam partibus eam integrantibus sicut etiam toti per se primò conuenit esse tam essentia quam existentia, & per ipsam partibus, vñ tantum homine excepto, cuius formæ quæ est anima intellectiua per se primò conuenit subsistentia & existentia, & per ipsam corpori & eius partibus. Quamvis enim essentia totius in genere causæ materialis ex partibus eius integralibus dependeat: in genere tamen quasi causæ formalis dependet essentia partium integralium ab essentia totius, præsertim heterogenei: ad speciem enim exempli gratia Leonis directè ac per se primò pertinet ipse totus Leo: indirectè verò seu reductiue & secundariò ad eandem speciem pertinent caput eius cor iecur & pedes; quia scilicet aliquid sunt Leonis & ad eius constitutionem pertinent. Sicut autem implicat contradictionem caput aut pedes vñiri corpori, & non participare eius naturam; quoniam hoc ipso quod hæ partes vñitæ sunt in toto, ad eius naturam pertinent & in eadem cum eo specie constituantur; ita contradictio est caput & pedes in vno toto subsistente, puta Leone coniungi, & eius subsistentiam veluti partes eius non participare: Totum enim ideo dicitur per se subsistere, quia non in alio habet esse; nec ut accidens in subiecto; nec ut pars in toto; igitur è contra pars actu existens in toto hoc ipso, quod in alio est ut in toto ipsius totius subsistentia subsistit. Iam autem diximus in præcedentibus implicare contradictionem, personam aut quamcumque rem subsistentem, salua eius propria personalitate aut subsistentia ad vnitatem diuinæ personalitatis assumi; igitur impossibile est.

Argum. 2. quæ referunt & soluunt Capreolus in 3. dist. solutiones. 2. quest. vnica. Med na super hoc artic. dubio primo Valentia puncto primo Suarez disput. 14. sect. 2. Vasquez disput. 30. & Aluarez disput. 32. Quæ ferè omnia ex supra notatis facillè poterunt expediri.

Probatur impossibile esse partem solā assumi, quæ sit actu pars.

est partem vnā actū existentem in toto ad vnitatem assumi diuinæ personæ ceteris non assumptis. Sicut etiam implicat contradictionem, albedinem aut eius partem actū nūi inherentem ad existentiam vel subsistentiam diuinam assumi: hoc ipso namque quod actū existit in alio iam non per se existit actū neque subsistit, quod autem vnitur hypostaticè personæ diuinæ non existit in alio veluti in subiecto, sed in alio vt natura in supposito subsistit. Et confirmatur argumentum: Quia alioquin totum subsisteret subsistentia totius & non subsistentia totius, sed subsistentia partis: supponamus enim æquales aut etiam plures esse partes assumptas ijs quæ nō sunt assumptæ, tunc certè totum subsisteret subsistentia totius; quia toti ex omnibus partibus suis constituto necessariò conuenit subsistere per modum substantiæ completæ: implicat enim esse substantiam completam & subsistere incompletè; igitur subsistit subsistentia totius; Quod autem tunc, non totius sed partis haberet subsistentiam, probatur; quia subsistentia illa creata ad quasdam tantum partes extenderetur & non ad omnes: hoc autem est subsistere subsistentia partis & non subsistentia totius: igitur ex ea positione sequitur vtrique pars contradictionis; ergo est impossibilis. Et hæc ratio cum argumento per eam confirmato probat etiam, nullam ex partibus essentialibus totum actū componentibus assumi posse seorsum ab alia, etiam si pars assumpta non esset à materia dependens, vt anima intellectiua quia militat eadem ratio.

Conclusio

CONCLUSIO. Pars vna sola integralis existens actū pars, non potest assumi ad vnitatem diuinæ personæ.

Argumenta
& solutio
nes.
Obi. 1.

CONTRA concl. argum. Suar. Hæc pars subsistit in toto saltem partialiter; ergo illa potest vniri Verbo & amittere illum partialem modum per se essendi. Et Verbum poterit terminare & quasi sustentare partem illam, non terminando reliquas. Antec. probatur; quoniam hæc pars suam habet partialem per se essendi modum. **Resp.** falsum esse antec. Ad cuius probationem negatur assumptum; falsum est enim quamlibet partem siue integram siue essentialē, suam habere partialem subsistentiam & partialem essendi modum, vt suo loco demonstrabitur.

Obi. 2.

Secundo sic potest obijci ex eodem. In eo casu Verbum non esset pars, neque etiam subsistentia Verbi denominaretur partialis; ergo possibilis est hæc assumptio: Antecedens quo ad primā partem probatur; quia Verbum ex hoc quod est vnitum animæ aut sanguini, non dicitur anima, aut sanguis, eo quod denominatio partis non est denominatio suppositi sed naturæ incompletæ. Quo ad alteram verò partem probatur; quia subsistentia non continuaretur nec per se vniretur cum subsistentia aliarum partium; sed solū esset subsistentia vnius partis, quæ continuaretur & vniretur cum alijs partibus ad componendam vnā naturam, non ad componendam vnā subsistentiam.

Sol.

Resp. nullam esse consequentiam; quoniam etsi non ex hac parte sit impossibilis hæc assumptio: implicat tamen ex alia parte; quia nimirum pars hoc ipso quod est actū pars, subsistit secundario subsistentia totius, vt ante diximus.

QVAESTIO QVARTA. An sola forma possit vniri hypostaticè diuinæ personæ non vnita illi materiæ.

Sententia

Valq. disp. 30. c. 5. negat formam substantiæ

à materia dependentem, siue sit in materia, siue sit ab ea separata, assumi posse ad vnitatem hypostaticam diuinæ personæ.

Suar. disp. 14. sect. 3. formam omnem siue coniunctam siue separatam asserit vniri posse diuinæ personæ: qui tamen oppositum, quo ad formam coniunctam à materia dependentem asserit esse probabile. Quam sententiam sequitur Aluar. quamuis non expresse loquatur de forma coniuncta. Medina de sola anima mentionem facit, quam assumi posse pronunciat & videtur loqui de rationali.

DE FORMA, quæ suapte natura pars est compositi, sermo est: Hæc autem duplex est: altera namque est immersa materiæ & ab ea dependens, vt omnes rerum irrationalium formæ; altera est supra materiam eleuata & ab ea minimè dependens, & hæc est anima sola rationalis; & vtrique (saltem per Dei potentiam) duplicem potest habere modum essendi, scilicet materiæ coniunctum & separatum. Et quo ad priorem quidem essendi modum, cum sit actū pars compositi, quæ seorsum ab alia parte & ab ipso toto composito nequit assumi, vt ostendimus quæstione præcedenti, neutrius ordinis formam possibile est assumi ad vnitatem hypostaticam diuinæ personæ. Quo ad modum autem essendi separatum, qui formis à materia dependentibus per absolutam Dei potentiam potest conuenire: anima verò intellectiua pro aliquo tempore naturaliter inest: certum est secundum fidem, animam intellectiuam posse diuinæ personæ in vnitatem subsistentiæ copulari. Anima namque Christi Saluatoris in triduo mortis diuino Verbo mansit vnita: quod etiam ratio satis euidenter euincit: quia anima separata suam habet, quamquam incompletè, subsistentiam ad modum semipersonæ; igitur ablata vel impedita propria illa subsistentia poterit diuinæ personalitate terminari & ea subsistere, sicut de completa substantiali natura dictum est. Cæteras verò formas substantiales si verum est posse eas per Dei potentiam absolutam à materia separari & ita subsistere, vt recentiores affirmant, dubitandum non est quin eadem potentia possit eas diuinæ personæ ad vnitatem suæ personalitatis assumere: cuiuslibet enim creatæ subsistentiæ munus supplere potest excellenter diuinæ personalitas. Ad cuius euidentiam scito, ad formam à materia separatam sequi naturaliter subsistentiam; quamuis ipsa formæ separatio sit omnino supernaturalis; sicut ad intellectum supernaturaliter essentia diuina informatum, vt specie intelligibili naturaliter sequitur visio supernaturalis, & ad visionem fructu; quamquam hæc subsistentia esset alterius rationis ab ea subsistentia, quæ conuenit substantiæ completæ vel animæ rationali; & ideo nō minus hæc quam alia quælibet naturalis subsistentia potest diuinæ personalitæ suppleri: cuius oppositum absque solido fundamento docet Valq.

PRIMA CONCL. Nulla forma quæ sit actū vnita materiæ, potest sola assumi ad hypostaticam vnitatem diuinæ personæ. Probatur; quia nulla pars, dum est actū pars totius compositi, potest assumi non assumpto toto; sed forma quæ est actū vnita materiæ, est actū pars totius compositi: ergo. Maior patet ex quæstione immediate præcedenti. Minor est per se nota.

SECUNDA CONCL. Anima intellectiua à corpore separata potest assumi. Hæc patet ex dictis.

TERTIA CONCL. Forma substantialis à materia separata potest assumi ad hypostaticam vnitatem diuinæ personæ. Probatur; quia anima intellectiua à corpore separata potest assumi: hæc patet ex dictis.

RESOLUTIO. Formæ coniunctæ solæ assumi non possunt sed separatæ.

tertia dependens, si per Dei potentiam absolutam fuerit a materia separata, poterit per eandem Dei potentiam uniri diuina personæ. Hæc patet ex dictis.

Argum. & solutiones. *Obi. cōcl. 1. sol.* **CONTRA** primam cōcl. argum. Suar. *Pri-*mo: quoniam anima intellectiua, etiam cum actu informat corpus, est forma subsistens; ergo potest assumi. *Resp.* animam intellectiuam dum actu informat corpus, esse subsistentem id est independentem à materia, & non esse subsistentem ut quod in actu; quoniam hoc ipso quod est actu pars, subsistit subsistentia totius, id est quæ soli toti completè conuenit: & ideo necessè est ut in toto existens vnā cum eo habeat subsistentiam; alioquin totum ipsum subsisteret non subsistentia totius; nam totius ut totum, existentia non est quæ non extenditur ad omnes partes.

Obi. 2. *sol.* **Secundo.** Forma vel natura assumpta non omnino per se est, sed habet modū vnionis ad personam assumentem; ergo probabile est hanc vnionem non ita repugnare cum actuali informatione materiæ, sicut repugnat modus per se essendi; ergo probabile est hanc formam hoc ipso, quod est capax huius vnionis hypostaticæ, posse ad illam assumi, etiam si actu informet. *Resp.* nullam esse primam cōseq. quoniam hoc ipso quod actu forma est, subsistit actu subsistentia totius compositi ex ea, & materia resultantis ut ante diximus.

Obi. cōcl. 3. cōcl. **CONTRA** tertiam cōcl. argum. Vasq. Quia formæ substantiales corruptibiles non sunt aptæ natæ ex se, ut per se existant; ergo non sunt aptæ natæ, ut aliena subsistentia loco propriæ sustententur. Probatur antecedens; nam quod per diuinam potentiam per se possint esse, non satis est, ut dicantur ex seipsis natæ subsistere; alioquin etiam accidentariæ formæ aptæ natæ essent per se subsistere. *Resp.* primò hoc argumento cōcludi formas substantiales non habere naturalem inclinationem ad vnionem cum diuina personā; quod libenter admittimus. **Secundo,** si per aptitudinem illam, tam in antecedente quam in cōsequente intelligat potentiam obedientialem dico, falsum esse antecedens: quia cum sint actus nobiliores formis accidentalibus, quia pertinet ad genus substantiæ, cui conuenit esse per se, facilius per Dei potentiam poterunt à materia separari, quam accidentia, quibus naturaliter cōuenit esse in alio, scilicet in subiecto. Si verò difformiter sumat dictionem illam, *aptæ natæ*, ita ut in antecedente accipiat, prout significat aptitudinem naturalem; in cōsequente verò potentiam obedientialem, falsa est manifestè cōsequentia.

QVÆSTIO QVINTA. An materia prima præcisè sumpta possit assumi?

Senten. & doctrina. Qui docent, materiam primam posse per Dei potentiam à forma separari, & absque ea subsistere, cōsequenter etiam affirmant eam sic à forma seiunctam assumi posse ad vnitatem hypostaticam diuinæ personæ. Ex quibus Suar. *disput. 14. sect. 3.* existimans materiam etiam actu vnitam formæ esse entitatem subsistentem propria subsistentia partiali, quam (inquit) semper retinet, quamuis forma varietur affirmat materiam posse per Dei potentiam à forma separari & diuinæ personæ secundum subsistentiam vniri; & eandem etiam vnitam formæ & existentem in toto, posse eodem modo diuinæ personæ coniungi.

Ban. 1. p. q. 66. a. 1. dub. 2. cōcl. 3. dicit esse verisimile, Verbum diuinum posse terminare &

cōplere dependentiā materiæ, quam habet à forma quantum ad existentiam; ita ut materia separata formaliter existat existentia diuina.

Oppositam sententiam tuetur Med. *dub. 1. Vasquez disput. 30. cap. 5. in fine, & Aluarez. disput. 22. cōcl. 3.* & omnes Thomistæ qui cum D. Th. negant posse materiam ab omni forma separari.

MATERIAM primam formæ coniunctam, & simul cum ea totum componentem assumi nō posse constat ex dictis in 3. *quæst. præsentis Contr.* Difficultas ergo tota est de materia, prout secundum priorem sententiam potest inueniri separatim à forma subsistens. Et quamuis hoc in loco supponenda esset doctrina S. Thomæ, quam omnes eius discipuli sequuntur, videlicet implicare contradictionem, materiam primam esse sine forma; non erit tamen ab re breuem huius difficultatis definitionem attingere, & oppositæ sententiæ fundamenta conuellere.

Ad cuius euidentiā supponendum est hic existentiam realiter ab essentia distingui, ut latè probauimus in 1. *p. q. 3. art. 4. in 1. Contr.* Vbi etiam ostendimus, existentiam esse vltimam actualitatem, & nunquam esse in potentia, ut sit actu existentia; & essentiam nunquam esse in potentia, ut sit actu essentia; & essentias seipsis formaliter esse entia realia realitate essentiae; per existentiam autem esse entia realia realitate existentiae, & (quod in idem redit) seipsis esse entia realia nominaliter: per existentiam autem esse entia realia participialiter.

Quibus suppositis aduertendum est, nomen existentiae æquiuocum esse ad existentiam, quæ est vltima actualitas per se primò conueniens formæ & per eam composito & partibus eius tam essentialibus quam integralibus, & ad existentiam quæ est effectus aut quasi effectus formalis vltimæ actualitatis: Differunt enim inter se primò, quia existentia primo modo dicta est effectus formalis secundarius formæ, quæ primò causat existentiam compositi; secundariò verò causat eius existentiam & partium eius: existentia verò secundò modo dicta est quasi tertius effectus formæ causatus media existentia primò modo dicta; & vocatur à Scoto & recentioribus actus entitatus; quoniam est entitas, quæ formaliter res est extra causas. **Secundo** differunt; quia existentia primo modo sumpta distinguitur realiter à forma & ab essentia compositi & partium eius: existentia verò secundò modo dicta cum singulis, quorum existentia est, identificatur. **Tertio** differunt, quod existentia primo modo dicta vna tantum est primò conueniens formæ & per eam composito, & partibus eius: secundò verò modo dicta multiplex est: alia est enim existentia formæ alia compositi alia materiæ. Quod idem dicendum est de existentia singularum partium integralium: variatur tamen hæc existentia materiæ iuxta varietatem formarum in ea sibi succedentium. Ad quorum ampliorem intelligentiam.

Considerandum est PRIMO: Ens reale dupliciter dici scilicet nominaliter & participialiter, & priori quidem modo est ens reale realitate essentiae, quæ ab æterno est: posteriori verò modo est ens reale realitate existentiae, secundum quam realitatem dicitur aliquid esse ens extra causas suas, & esse pertinetis ad ordinem vniuersi: quæ quidem realitas conuenit formæ, materiæ, cōposito & partibus integralibus per existentiam primo modo dictam;

Resolutio. Distinguitur in cōposito & partibus eius duplex existentia, & assignantur tres inter varietates differentie & explicatur vniuersus que ratio.

dictam; non tanquam per intrinsecam formale constitutum; quoniam existentia sic sumpta est singulis istorum essentij extrinseca & ab eis distincta realiter: sed tanquam per principium formale, quo causatur in eis prædicta realitas, qua realitate formaliter & intrinsecè dicuntur entia realia extra causas suas; qui modus essendi extra causas à recentioribus vocatur existentia; cum tamen sit effectus quasi formalis existentiae priori modo sumptæ. Et quoniam hic essendi modus multiplicatur iuxta rerum numerum, quæ sunt extra causas suas; neque realiter differat re, cuius est modus: ideo cum recentioribus dici potest existentiam hoc posteriori modo sumptam non esse realiter ab essentia differentem; & tot esse in rebus partiales & incompletas existentias, quot sunt in eis essentiae partiales & incompletæ, & existentiam materiæ esse potentialem ad existentiam formæ tam primò, quàm secundo modo sumptam: & existentiam completam substantiæ compositæ esse compositam ex incompletis partium existentij. Et sicut verum est materiam esse ens purè potentiale, & tamen esse ens reale extra causas suas, ita verum est materiam esse existentem existentia secundo modo dicta, quam recentiores cum Scoto appellant actum entitativum, & tamen esse ens merè potentiale. Et quoniam hic effectus prout materiæ convenit, necessariò pendet à forma, tam in fieri, quàm in conservari: ideo nec per absolutam Dei potentiam fieri potest, ut materia sit existens in rerum natura sine forma. Quod autem hic effectus utroque modo necessariam habeat cum forma connexionem. Probatùr; quia nulla res existere potest in rerum natura, nisi ad aliquam speciem & ad unum aliquod individuum fuerit determinata: res autem ad speciem determinatur à forma, sicut ad unitatem individualement determinatur à materia quantitate signata; ergò hæc existentia materiæ necessariò pendet à forma, tam in fieri quàm in conservari. *Sed ait* Suar. in sua *Metaphys. disp. 15. sect. 9. num. 10.* Substantialem materiæ differentiam non esse à forma, sed ex ipsa materiæ natura, & materiam primam esse in aliqua specie materiæ vel celestis vel elementaris, & eandem materiam specie & numero differre sub diuersis formis, & formam dare differentiam specificam, non materiæ sed composito. *Sed hæc responsio* tripliciter deficit, primò; quia species omnis constat ex genere & differentia; & genus sumitur à materia vel ab eo quod est potentiale: differentia verò sumitur à forma vel ab eo quod est actuale; at materiæ nihil habet actuale cum sit pura potentia. *Sed dices*, speciem materiæ corruptibilis desumi ex ordine ad formam corruptibilem vel rei corruptibilis, sicut species materiæ celestis sumitur ex ordine ad formam incorruptibilem. *Sed facile præcluditur* hoc effugium; quia, quod non est unum specie secundum se, non potest in altero ad ipsum ordinato causare specificam unitatem: at forma rerum corruptibilium non est una specie sed genere; ergò non potest dare speciem materiæ. Et eadem ratione forma incorruptibilis ut sic, non potest dare speciem ultimam materiæ celestis; quia corpora celestia inter se & earum formæ inter se, non solum specie sed etiam genere physico differunt; ergò *secundò* deficit principalis illa responsio; quia materia prima præcisè sumpta non est una numero positivè sed negativè tantum, ut cum Auerroce docet S. D. & eius discipuli. *Tertio* deficit; quia non est alia sed una & eadè species substantialis partium & totius ex eis compositi pro-

prie & absolute loquendo; species enim substantialis ea est in proposito, quæ sub genere & prædicamento substantiæ collocatur: constat autem compositum substantiale per se primò, & directè in tali genere & prædicamento collocari: Secundariò autem & indirectè seu reductivè partes compositi ad idem prædicamentum pertinere: nec alio modo quàm media completa substantia, cuius sunt actu partes, sub eo genere contineri; ergò male & contra canones verè Philosophiè dicitur materiam habere ex se & non à forma specificam unitatem.

Secundo considerandum est, existentiam, ^{Existentiæ, tam prout est ultima actualitas, non dicitur à materia, sed à composito, & à partibus in genere.} primo quàm secundo modo dictam, non eodem modo se habere ad formam, & ad compositum & ad partes compositi. Nam existentia primo modo sumpta non distinguitur à forma, nisi ex natura rei: non autem sicut res à re; sed est ipsa forma, ut est tale ens reale extra causas, quod est formale essendi principium; ac proinde cui per se primò convenit existere, ut quo; adeò ut existentia primo modo sumpta sit ipsa realitas ens formalis, quæ forma denominatur intrinsecè ens reale extra causas suas. Ex quo sequitur existentiam secundo modo dictam in forma informante, & multò magis in subsistente non esse realiter, sed ex natura rei tantum distinctam ab existentia primo modo dicta: nulla est enim necessitas in forma duas prædictas existentias realiter distinguendi, sicut in composito & eius partibus, ut statim dicemus. Cum enim forma constituat compositum, & illi ac eius partibus det esse & specificum quod est esse essetivum, quæ esse existetivum: necesse est primò, ut eadè ultima actualitate, quæ per se primò convenit formæ, non solum ut ipsius actualitatis formali principio, sed etiam ut quod existit: incompletè tamen & dependenter à materia, si sermo sit de forma corruptibili, dicatur quasi extrinseca denominatione existens compositum & eius partes; ita ut eadem existentia, quæ intrinsecè formam denominat existentem, totum etiam & partes, quasi extrinsecè denominet existentes: dico autem quasi extrinsecè; quoniam existentia primo modo dicta distinguitur à composito & ab eius partibus, sicut alia ab eis realitas. Cum autem existentia sit realitas entis participialiter dicti, & nullum ens sit reale aliena, & extrinseca sibi realitate, necesse est alterius rationis existentiam à prædicta esse in composito, & eius partibus, ex qua propriè & intrinsecè sint, & dicantur entia realia participialiter. Hæc autem existentia nihil aliud est, quàm ipsa essentia totius & singulæ partium essentia, ut posita extra causas suas: quod ponitur extra causas convenit illis à generante vel producente ut ab efficiente, & à forma ut primo formali principio quo, & ab existentia quæ est ultima actualitas formæ ut proximo formali principio; quoniam ex hoc, quod materia actuatur à forma, & ex tali actuazione constituitur compositum, sit ut tam compositum quàm materia dicantur existere illa una existentia, quæ primò convenit formæ ut principio formali; sed quia realitas formæ, cui identificatur realitas existentia, est alia realitas à realitate compositi & materiæ & partium integralium: ideo non potest illa existentia esse horum realitas, ut scilicet ab hac existentia seu ab hoc esse dicantur intrinseca denominatione entia participialiter; necesse est ut ab hac existentia, veluti à principio formali deriuetur, ut effectus formalis intrinseca realitas ad compositum & eius partes, ex qua denominentur intrinsecè entia realia participialiter, id est

Suar. in
responsio.

Confutatio.

Obiectio.

Solutio.

S. Thom.

id est entia extra causas in rerum natura, & hæc est existentia secundo modo dicta, quam recentiores vocant actum entitativum.

PROBATUR TERTIO sciendum est, existentiam secundo modo dictam non esse realiter physice distinctam à composito aut ab eius partibus, sed formaliter actualiter seu ex natura rei, vel realiter metaphysice. Cum autem S. D. affirmat, in qualibet re creata distingui realiter existentiam ab eius essentia, de existentia loquitur primo modo sumpta, & de distinctione reali, prout etiam extenditur ad distinctionem realem metaphysicam, quam Scotus & recentiores appellant distinctionem ex natura rei: quod dico propter formas in quibus existentia primo modo supra non distinguitur ab ipsis, nisi ex natura rei, ut ante diximus, & propter existentiam secundo modo dictam, quæ tantum ex natura rei distinguitur ab eo, cuius est existentia: eadem enim res, quæ solam ab æterno realitatem actualem habebat essentia, per agentis operationem media causalitate formali in novam augetur realitatis perfectionem: fit enim eadem specie & numero ens actu extra causas existens, per quod novum accipit realitatis modum, ut quod prius actuali solius essentia realitate, & virtute causæ potentis illud producere erat ens reale; atque adeo quasi diminutè & incompletè, nunc per essendi modum, quem habet extra causas, simpliciter & completè sit ens reale.

Ex quo patet primò, existentiam actu existentem extra causas suas non differre à seipsa absolute sumpta, sicut ens à non ente; sed tanquam ens participatiter ab ente nominaliter; quod tamen est non ens participatiter: ac proinde non differre sola ratione in re fundamentum habente, ut opinatur Suar. *disput. Metaph. 31. sect. 6.* sed ex natura rei sicut includens realem perfectionem, seu realitatem à non includente illam, loquendo de re existente existentia secundo modo sumpta. Si verò sermo sit de re, seu essentia existente, prout existit etiam existentia primo modo sumpta, certum est distingui realiter à se ipsa absolute sumpta; & etiam ut existente existentia secundo modo sumpta; quia addit ultimam actualitatem realiter ab essentia sic accepta distinctam. *Secundò patet*, sententiam nostram esse consonam doctrinæ D. Th. Vbi loquentis de existentia primo modo sumpta; quamvis ex parte alio modo dicta S. Doct. exponat, quæ hucusque fuerint ab eius discipulis intellecta. *Tertio patet* ex hoc dicendi modo facile posse difficiliora Scotistarum, & recentiorum Scotothomistarum argumenta dissolui, quæ ad probandam realem identitatem essentia cum existentia proferunt contra D. Th. *Quarto patet* materiam non habere propriam existentiam, nisi dependentem à forma, tam in fieri quam in conservari: atque ideo non posse etiam per Dei potentiam absolutam à forma separari, & ita separatam conservari. *Quinto patet* omnium ferè opinionum dicta parum esse differentia.

CONCLUSIONES POSTREMÆ sequuntur ex dictis duæ Conclusiones.

PRIMA CONCL. Materia prima nec per Dei potentiam potest existere sine forma.

SECUNDA CONCL. Sola materia prima non potest assumi ad unitatem divinam subsistentia, vel existentia. Probatur: quia materia sic accepta per nullam esset specificam aut individualement differentiam determinata, ut ostensum est; ergò.

ARGUMENTA CONTRA primam concl. sunt arg. quæ referunt & solvunt Cap. in 2. dist. 13. q. unica Cai. de Naz. in D. Tho. 3. partem

A ente, & essentia c. 5. q. 8. Iauel. lib. 8. Metaph. q. 1. Ferr. in 3. cont. gent. c. 4. Ban. 1. p. q. 66. a. 1. dub. 2. & aij.

Contra eandem conclus. argum. Fons. 8. Metaph. quæst. 1. Primò; quia materia prima creata est in initio mundi propria & peculiari creatione; ergò peculiarem habet existentiam ab existentia formarum diversam. Antecedens probatur; Quia formæ quæ initio cum materia horum inferiorum creatæ sunt, perierunt; ipsa verò materia semper conservata est; ergò materia propriam habet conservationem; ergò peculiarem habet existentiam ab existentia formarum diversam. Probatur hæc secunda consequentia; quia si materia per eam solam existentiam extitisset, per quam primæ formæ existerent, ijs pereuntibus materia quoque perisset. Probatur hæc illatio; quia conservatio nihil aliud est, quam eiusdem numero existentia continuatio. *Resp. falsum esse antecedens*: ait enim S. D. 1. p. q. 45. a. 4. Proprie creata sunt subsistentia; accidentia verò formæ & huiusmodi, quæ non subsistunt, magis sunt coexistentia, quam entia; & ideo magis debent dici concreata, quam creata, ex quo deducitur sola subsistentia peculiarem ac propriam habere creationem. Ad probationem respondetur primò, falsum esse antecedens: si de materia vna numero positivè sermo sit: variatur enim specie & numero materia iuxta variationem formarum, & dimensionum eam determinantium. Si autem intelligatur antecedens de materia vna numero negativè, falsum est consequentia. Nam sicut corpus esse album pendet ab albedine, quamvis non ab hac aut ab illa albedine determinatè; ita materiam existere pendet à forma, quamvis non ab hac vel ab illa determinatè; atque ideo propriam non habet conservationem, sed communem sibi & formæ ac toti composito & multipliciter variabilem iuxta varietatem formarum successive materiam actuantium. Vide, si placet ea quæ de hac difficultate scripsimus in *Controuersia ad dictum articulum quartum, præsertim in responsionibus ad argumenta contra secundam conclusionem.*

Secundò: Magis pendent formæ à materia, quæ ex illius potentia educuntur, quam ab illis materia: at formæ suam habent peculiarem existentiam; ergò potiori ratione materia habebit suam; ergò poterit existere sine forma. Prima propositio probatur; quia materia non pendet à formis in fieri, sed tantum in conservari: formæ autem, pendent à materia utroque modo. *Resp. nullam esse consq. peccat enim argumentum per fallaciam, quæ est secundum non causam ut causam*: Nam causa, quod forma propriam habeat existentiam modo superius explicato, non est maior aut minor independentia: sed actualitas quæ per se primò formæ conuenit, & ideo etiam illi primò conuenit existentia, quæ est ultima actualitas per se primò formæ conueniens, & per eam composito & partibus eius integralibus & materiæ.

Contra eandem concl. arg. Suar. *disput. Metaph. Obiect. 3. 15. sect. 9.* Primò; quia materia, sicut suam habet partialem entitatem essentia, ita & existentia; ergò sine vlla implicatione vel repugnantia potest Deus sicut formam sine materia, ita materiam sine forma conservare. *Resp. primò, falsum esse antec.* loquendo de entitate existentia, quæ est ultima actualitas: hæc enim est propria formæ, & per eam communicatur materiæ: si verò sermo sit de entitate existentia, prout est realitas materiæ extra causas, admissio antecedent-

te negatur consequentia, quoniam hæc entitas existentia pendet à forma, tam in fieri quam in conservari, ut supra probauimus ea ratione; quia materia sine forma nec esset vna specie nec vna numero, quem defectum non potest Deus supplere sine forma ad speciem determinante, & quantitate numericam unitatem conferente, & ex hoc fundamento diluuntur alia eiusdem authoris argumenta, quæ supponunt materiã absque forma speciem habere determinatam, quod esse falsum superius ostensum est.

Conf. 2. cõs. Obiect. **CONTRA secundam concl.** sunt argum. quæ referunt & soluant *Med. dub. 1. & Aluar. disp. 22.* Contra eandem concl. argum. *Suar. disp. 13. sect. 3.* quia materia suum habet actum entitativum & partialem existentiam, in qua potest à Deo conservari sine forma; ergo potest assumi. Consequentia est euident. Antecedens autem probatur; Quia licet fortasse secundum ordinem naturæ à forma pendeat, non tamen pendet ab ipsa, ut à causa intrinsecæ, ac formaliter constituyente entitatem eius; ergo potest Deus effectiue supplere illam dependentiam, sicut supplet in accidente dependentiam à subiecto, quando separatum illud conservat. *Resp.* admissa prima parte antecedentis in bono sensu superius explicato, falsam esse alteram partem, videlicet posse materiam in eo actu entitativo à Deo conservari sine forma. Ad probationem respondetur, nullam esse consequentiam; quia licet actus materiæ entitativus non pendeat à forma, ut à formali intrinsecò constitutivo; pendet tamen ab ea, quod ad aliquid necessariò requisitum, aut inclusum in entitate materiæ, scilicet quod ad determinationem ad speciem sine qua nihil esse potest in rerum natura.

QVAESTIO SEXTA. *An accidens vniri possit hypostaticè diuinæ personæ?*

Sensente Doctrum. Duæ sunt oppositæ de questione proposita Doctorum opiniones. Prima negat accidens assumi posse à diuinæ personæ, quam ex quibusdam antiquioribus Theologis haustam sequuntur Suarez, *disp. 13. sect. 4.* & Vasquez *disp. 30. c. 5.*

Secunda sententia huic opposita multò plures, ac Illustriores habet authores ac defensores: Hi verò sunt Marsilius in *3. quest. 3. art. 1.* Almainus *dist. 2. q. 2.* Gabriel *dist. 1. q. 2. art. 2. ad 7.* *Med. dub. 1. super hoc art. & Val. puncto 1. in 2. questio:* Vbi ait posse diuinā personā ex infinita sua virtute suppleri vim creati subiecti, qua naturaliter potest esse terminus dependentiæ accidentis, sic ut ex vi eius possit accidens existere; cum alioquin absque sub subiecto proprio non posset existere; quamvis supplere non possit rationem creati subiecti, quatenus afficitur & perficitur accidentibus. Aluar. *disp. 22. conclus. 4.* dicit, opinionem affirmantem esse multorum Thomistarum, & eam explicans ait, fieri posse ut accidentia vniantur Deo hypostaticè; non ita ut immediate vniantur substantiæ personali alicuius personæ diuinæ, sed ut immediate & formaliter existant per existentiam creatam.

RESOLVTIO.

Probatur accidens inherens subiecto assumi nõ posse, & accidens separatim habere modum essendi modum substantiæ similem.

PRO QVAESTIONIS huius resolutione notandum est primò duplicem essendi modum accidenti posse conuenire: alterum naturalem qui est

A inherere subiecto; alterum supernaturalem qui est esse sine subiecto: & in priori quidem essendi modo certum est, accidens assumi non posse; quia manifesta contradictio est in subiecto esse, & subsistere cuiusvis suppositi substantia. Hoc enim est esse per se, ut distinguitur contra esse in alio, tanquam accidens in subiecto & tanquam in toto. Ad cuius euidentiam aduertendum est, dupliciter intelligi posse accidens assumi & vniri diuinæ personæ: Vno modo proximè & immediate: ita ut existat formaliter & immediate per substantiam, aut existentiam diuinæ personæ; & ita certum est, ut diximus, accidens inherens subiecto assumi non posse. *Alio modo* mediatè, quia scilicet assumitur proximè & immediate natura substantialis; cui inherens accidentia, quæ mediatè dicuntur assumi & vniri diuinæ personæ assumenti; non quidem secundum personam; sed in persona, ut *quest. 2.* docet Caietan.

Si verò consideretur accidens in altero essendi modo, quidam negant quidam autem affirmant illud vniri posse diuinæ personæ. Et qui sententiam tuentur affirmantem, in modo vnionis asserendo non conueniunt, ut patet ex opinionibus supra notatis. Ut igitur in hac difficultate satis perplexa, quid nobis magis probabile videatur, explicemus.

Secundò considerandum est, accidens à subiecto diuinæ virtute separatim quendam habere subsistendi modum longè diuersum à modis subsistendi completæ substantiæ, animæ intellectiue, & formæ substantialis à materia dependentis, si diuinæ virtute à subiecto abstracta subsisteret; ex primo namque miraculo, quo separatur accidens à subiecto, consequitur naturali sequela modus quidam in accidente; qui licet materialiter ad genus & speciem pertineat accidentis, formaliter tamen conuenit cum substantiæ modo, qui est esse per se, cuiusmodi opponitur proprius & naturalis accidentis, qui est esse in alio tanquam in subiecto; quamuis itaque modus ille consequens accidens à subiecto separatim, quatenus naturam habet materialiter accidentis, habeat ut ei non repugnet inherere subiecto; quatenus tamen est modus talis, scilicet essendi per se, id est separatim à subiecto, repugnantiam habet ex intrinseca sua ratione; non minus, quam proprius & naturalis substantiæ modus ad inherendum subiecto. Necessitas autem constituendi talem modum in accidente miraculosè separato ex eo colligitur, quod hi duo modi, scilicet esse per se & esse in alio duos denotant entium terminos; nam esse per se dicit substantiam, quæ terminus est substantiæ naturalis: esse verò in alio ut in subiecto, dicit terminum naturalem accidentis, qui consistit in vnione eius cum subiecto. In entibus autem quæ aliquo veluti termino suapte natura terminantur, ablato eius proprio termino, statim naturaliter resultat aliud, ut patet in linea, superficie & corporis diuisione: remoto namque priori puncto lineam terminante resultat alius; remota linea quæ superficiem terminabat, alia noua confurgit, & remota figura corpus terminante resultat alia, & similiter in Christi humanitate non impeditur propria substantia, nisi diuinā inducendo personalitatem, quæ si auferretur, propria statim substantia naturaliter in ea pullularet: Sic igitur ablato ab accidente modo ac termino eius naturali, qui est inesse subiecto, resultat in eo naturaliter alius modus ac terminus modo ac termino substantiæ similis, qui est

est esse per se; qui licet materialiter sit ignobili-
or accidenti, cuius est modus; formaliter tamen
superexcedit accidentis naturam; quamvis non
adequet substantialis modi nobilitatem. Et ex
his apparet, quid veritatis habeant ea, quæ in
hac materia dissidentes scribunt Caietanus *infra*
quæst. 77. a. 1. Suar. ibidem disp. 56. sect. 2. Val. &
Nugnius super eodem a. post Sotum in 4. dist. 10. q.
2. a. 1.

Posse acci-
dens à sub-
iecto sepa-
rati assumi
ad unitatē
diuine sub-
sistentiæ. nō
autē ad v-
nitatē soli-
us substanti-
æ.

Tertio recolendum est, quod sæpe diximus, ni-
mirum, diuinam personalitatem esse simplici-
ter infinitam in terminando: ex quo sequitur in
ea contineri supereminenter creatam omnem
personalitatem & subsistentiam, ac subsistendi
modum possibilem creaturæ communicari: at-
que ideo sicut terminare potest Angelicam &
humanam, ac quamlibet substantialem naturam;
ita poterit eadem ratione accidentalem naturam
à proprio subiecto miraculosè separatam termi-
nare præueniendo modum illum subsistendi;
quem naturaliter sequi diximus ad accidens à
subiecto miraculosè separatam: dicitur autem
hæc vnio materialiter quidem secundum perso-
nam & hypostasim, formaliter autem secundum
subsistentiam, accepto nomine subsistentiæ pro-
ut communis est vtrique modo essendi per se,
scilicet modo substantiæ & modo accidentis à
subiecto diuina virtute separati. Et quemadmo-
dum vnio humanæ naturæ cum persona Verbi
est vnio per se in ratione suppositi: sic vnio talis
accidentis cum diuina subsistentia esset vnio per
se in ratione subsistentiæ. Et quemadmodum in
illa; ita & in hac vnione fieret idiomatum com-
municatio, si præsertim nomina imponerentur
ad significandum suppositum diuinum talem
habentem naturam accidentalem sibi in vnitate
subsistentiæ copulatam. Quare si Verbum as-
sumpsisset albedinem posset dici album, si no-
men hoc album significaret habetem albedinem,
non vt inhaerentem, sed vt in vnitate subsisten-
tiæ copulatam.

Quarto notanda est differentia inter subsisten-
tiam & existentiam, quod illa verè & propriè
terminus est naturæ substantialis nullam dicens
causalitatem: hæc autem est vltima rei actualitas
& quasi forma & actus omnium actuū quæ sunt
in re: ratio verò termini nullam in ipso terminā-
te dicit imperfectionem, quæ tamen intrinsecè
clauditur in forma vel actu alterum informante
vel actuante: si autem diuina persona assumeret
accidens ad vnitatem solius existentiæ, id non
alio modo fieret, quam actuando per suam exi-
stentiam accidentis naturam assumptam, quæ
absurditas satis accedit ad eorum Philosophorū
errorem, qui dicebant Deum nihil aliud esse,
quam ipsum esse formale rerum omnium, quos
arguit S. D. prima parte, quæst. 3. art. vltimo, & in
primo cont. gent. cap. 26. sed de hoc plura dixi-
mus in præcedentibus.

Ex dictis sequuntur duæ conclusiones.

PRIMA CONCL. Persona diuina potest ad v-
nitatem suæ subsistentiæ naturam accidentis à subiecto
miraculosè separatam assumere.

SECUNDA: Accidens non potest assumi à diuina
persona, vel ab hoc Deo ad vnitatem solius existen-
tiæ.

CONTRA primam concl. sunt argum. quæ re-
ferunt & soluunt Med. Val. & Aluar. Quorum
etiam solutiones colligi facillè possunt ex di-
ctis.

CONTRA eandem concl. argum. Suar. Quia non
potest assumi accidens ad existendum existentia
Verbi, nec quò ad modum existendi terminari

A subsistentia diuina; ergò forma accidentalis est
omnino incapax substantialis vnionis; ergò non
potest ad illam fieri vnio secundum subsistenti-
am, Antecedens (inquit) quò ad primam par-
tem probabitur *infra q. 17.* quò ad secundam ve-
rò probatur: Quia quamuis accidens separatum
per se aliquo modo constituatur: tamen ille mo-
dus per se essendi non est verè subsistentia; sed
est modus in se accidentalis; ergò forma accide-
ntalis est omnino incapax subsistentiæ, &c. Et cō-
firmatur ac explicatur varijs modis: Primò: quia
accidens non potest vniri ad componendum v-
num per se: & multò minus ad componendum
vnam personam: at vnio cuiuscunque creatæ na-
turæ cum Deo tantum esse potest per modum v-
nius subsistentiæ vel personæ; ergò. Secundò: Conf. 2.
Quia substantia non potest vlla ratione poni in
alio per modum inhaerentis; quia hoc pugnat
cum natura substantiæ, quæ est omnino incapax
talis modi essendi; ergò pari ratione natura ac-
cidentis non potest trahi ad subsistendum. Ter-
tiò, intelligi non potest, punctum immediatè
terminare corpus & superficiem; quia non est
proportio neque capacitas; ergò simili modo
&c. Resp. Antecedens quò ad primam partem ve-
rum esse, si de sola existentia, seclufa omnino
subsistentia sermo sit; si autem de assumi ad exi-
stentiam præuia ordine naturæ vnione cum sub-
sistentia intelligatur falsum est, vt ostendemus
in allegata quæst. 17. a. 2. quò ad secundam etiam
partem negatur idem antecedens. Ad probatio-
nem negatur antecedens & consequentia: est e-
nim in accidente miraculosè separato verè subfi-
sistentia, quamuis analogicè dicta respectu subfi-
sistentiæ substantialis. Et quamuis materialiter sit
modus accidentalis: assimilatur tamen modo
substantiæ in hoc, quod positus in accidente
constituit in eo repugnantiam ad inhaerendum
subiecto, dum est sub tali modo: & quauis non
possit accidens trahi ad vnitatem diuinæ subfi-
sistentiæ sub ea ratione, qua substantialis est: po-
test tamen ad eam trahi sub ea ratione qua super-
eminenter continet omnem modum subsistendi
distinctum à modo existendi per inhaerentiam
in subiecto. Ad primam confirm. negatur assump-
tum; quia potest vniri per se cum diuina per-
sona modo iam dicto, & constituere vnā per-
sonam compositam ex natura accidentis & sub-
sistentiæ personali; quatenus eminenter continet
omnem subsistendi modum. Ad secundam con-
firm. distingo consequens: Vel enim loquitur
de subsistere substantiali subsistentia vt talis, &
ita conceditur argumentum cum ipso consequē-
te: vel loquitur de subsistentia prout analogicè
dicitur etiam de modo accidentis à subiecto se-
parati, qui modus continetur eminenter in di-
uina personalitate, & in hoc sensu negatur con-
sequentia; quia vnus tantum est modus possibi-
lis inhaerendi, qui naturaliter conuenit accide-
ti; sed nō est tantum vnus modus possibilis sub-
sistendi; & magis intrinseca est substantiæ subfi-
sistentiæ actualis, vt opposita inhaerentiæ, quam
inhaerentiæ actualis accidenti; quia subsistentia
conuenit substantiæ secundum se, & non in or-
dine ad aliud; inhaerentiæ verò conuenit accide-
ti ex ordine, & vnione cum substantia: & ideo
potest accidens trahi ad subsistendum: substan-
tia verò trahi non potest ad inhaerendum. Ad 3. conf.
tertiam confirmationem negatur consequentia;
quia punctum non continet eminenter lineam,
neque superficiem, sicut diuina subsistentia
continet eminenter omnem subsistendi mo-
dum.

Obi. 1.

Contra eandem concl. argum. Vsq. Diuina personalitas terminans alienam naturam subrogatur in locum substantiæ creatæ; ergo illa sola natura quæ ex se habet propriam substantiā, hoc genere vnionis vniri potest diuinæ personæ: at forma accidentalis ex se non habet substantiam; ergo assumi non potest à Verbo diuino etiam separata à subiecto media substantia & suppositualitate increata in vnitatem hypostasialis: alio autem modo vniri posse affirmare non licet, nisi firmo aliquo supposito fundamento. Resp. antecedens verum esse loquendo de substantia conueniente naturæ creatæ, siue ex se, id est naturaliter, siue alio modo, puta ex separatione à subiecto facta miraculosè; nam vtramque substantiam potest supplere diuina personalitas; & in hoc sensu admissio antecedente negatur consequentia, quæ loquitur de sola substantia rei naturaliter conueniente, & ita ruit totum argumentum.

Sol.

Obi. 2. concl.

CONTRA secundam concl. argum. Aluarez. Substantia Verbi; quia est infinitæ virtutis & continet eminenter omnem substantiam creatam, potest immediatè terminare, & de facto terminat naturam humanam communicando illi propriam personalitatem; ergo similiter existentia diuina, cum contineat eminenter omnem existentiam & inexistentiā creatam, poterit immediatè supplere inexistentiā accidentis, & dependentiam quam habet à substantia creatā, & illud immediatè terminare; ita vt accidens immediatè & formaliter existat per existentiam diuinam. Resp. personalitatem diuinam non ob eam solam, vt integram causam terminare naturam creatā; quia est infinitæ virtutis, & continet eminenter omnem substantiam creatam: sed hoc etiam addendum est, quod terminare & personare naturam nullam dicit imperfectionem in ipsa personalitate; quia nullam dicit causalitatem formalem & multò minus materialem. Existentiā verò diuinæ personæ; quamuis sit infinitæ virtutis & contineat eminenter omnem creatam existentiam & inexistentiā: nō potest tñ creatā naturā absq; maxima imperfectione immediatè terminare; quia non alio modo potest naturam immediatè terminare, quàm illam actuando & informando, vt eius vltima actualitas.

Solus.

ARTICVLVS II.

Vtrum filius Dei assumpsit personam.

Locis ar. sequenti notatis. Cap. 11.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod filius Dei assumpsit personam. Dicit enim Damas. in tertio lib. quod filius Dei assumpsit humanam naturam in atomo, id est in indiuiduo. Sed indiuiduum rationalis naturæ est persona: vt patet per Boet. in lib. de Dna. natur. Ergo filius Dei, personam assumpsit.

Lib. 3. c. 6.

Præterea, Damas. dicit, quod filius Dei assumpsit ea, quæ in natura nostra plantauit. Plantauit autem ibi personalitatem. Ergo filius Dei assumpsit personam.

Præterea, Nihil consumitur, nisi quod est. Sed Innocentius tertius dicit in quadam Decr. quod persona Dei consumpsit personam hominis. Ergo videtur, quod persona hominis fuerit prius assumpta.

Cap. 2. to. 3.

Sed contra est, quod August. dicit in lib. de fide ad Pe. quod Deus naturam hominis assumpsit, non personam.

Respondeo dicendum, quod aliquid dicitur assumi

A ex eo, quod ad aliquid sumitur. Vnde illud, quod assumitur, oportet præintelligi assumptioni; sicut illud, quod mouetur localiter, præintelligitur ipsi motui. Persona autem non præintelligitur in humana natura assumptioni, sed magis se habet vt terminus assumptionis, vt supra dictum est. Si enim præintelligeretur, quod præc. 1. & 2. vel oporteret, quod corrumpetur: & sic frustra esset assumpta, vel quod remaneret post vnionem: & sic essent due persone, vna assumens, & alia assumpta. Quod est erroneum, vt supra ostensum est: Vnde relinquitur, quod nullo modo filius Dei assumpsit humanam personam.

Ad primum ergo dicendum, quod naturam humanam assumpsit Filius in atomo, id est in indiuiduo: quod non est aliud à supposito increato, quod est persona simpliciter Dei. Vnde non sequitur, quod persona sit assumpta.

Ad secundum dicendum, quod natura assumpta nō deest propria personalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humane nature pertineat: sed propter additionem alicuius, quod est supra humanam naturam: quod est vno ad diuinam personam.

Ad tertium dicendum, quod consumptio ibi non importat destructionem alicuius, quod prius fuerat, sed impeditionem eius, quod aliter esse posset. Si enim humana natura non esset assumpta à diuina persona, natura humana propriam personalitatem haberet: & pro tanto dicitur persona consumpsisse personam, licet improprie: quia persona diuina sua vnione impedit, ne humana natura propriam personalitatem haberet.

Sensus quasi.

CUM SINT tres modi, quibus intelligi potest Filium Dei assumere personam, primo proprie & formaliter; quod esset si personalitas ipsa creata ad vnitatem increatæ personalitatis assumeretur: Secundo minus proprie & concomitanter; quo modo diceretur assumi, si natura assumeretur manente propria personalitate. Tertio valde improprie; vt si natura assumeretur destructa, quam prius habebat, personalitate: Tunc enim diceretur assumi persona tanquàm terminus à quo; sicut dicitur panis & vinum consecrari, tanquàm materia ex qua fit transubstantiatio. Et hos omnes sensus videtur intendere S. D. & iuxta singulos in articulo respondere.

Forma Textus.

CONCL. est: Nullo modo filius Dei assumpsit humanam personam. Probatur: Illud quod assumitur oportet præintelligi assumptioni; at persona non præintelligitur in humana natura assumptioni, sed potius se habet vt terminus assumptionis; ergo. Maior probatur; quia aliquid dicitur assumi ex eo, quod ad aliquid sumitur, & manifestatur exemplo; Quia quod mouetur localiter præintelligitur ipsi motui. Minor verò probatur ducendo ad inconueniens: quia si persona præintelligeretur assumptioni, vel oporteret vt corrumpetur, vel vt remaneret post vnionem: at vtrumque est absurdum; ergo. Probatur hæc propositio; quia si corrumpetur frustra esset assumpta; si autem remaneret post vnionem essent due persone, vna assumens & alia assumpta, quod est erroneum; ergo.

Expō-

Expositio Textus.

Proponitur
a quo dubita-
tiones &
breuiter sa-
gentur au-
indicantur
eius solu-
tiones.
Prima Du-
bitatio.

DOCTRINAM praesentis articuli tā in corpore quā in responsionibus ad argumen-
ta declarant expositores varijs propositis dubi-
tationibus, quibus pro suo quisque iudicio niti-
tur satisfacere: sunt autem octo.

PRIMA & omnium maxima est: *An & quomo-
do distinguantur in qualibet creatura substantia tā cor-
porea quā incorporea suppositū a natura, & substantia
ab existentia?* de qua latissimē disseruimus i. p. q. 50.
a. 2. Contr. 3. quibus adde ea, quae diximus in ea-
dem i. p. q. 30. a. 4. & ea quae breuiter ac eruditē
scribit Aluar. in sua disp. 23.

2. Dubita-
tio. SECUNDA est: *An natura propria substantia
terminata possit assumi?* quam hic versant Suarez
disp. 14. sect. 1. Vasquez disp. 33. Aluar. disp. 26. &
Val. quest. praeced. a. 6. Vbi contra recentiores id
fieri non posse defendimus.

3. Dubit. TERTIA est: *An humana Christi natura incli-
netur in propriam personalitatem?* quae propter
Vasq. Cai. & alij recentioribus D. Thom. dis-
cipulis aduersum erit examinanda.

4. Dubit. QUARTA est: *Quomodo persona diuina impe-
dierit naturam humanam a personalitate propria,*
quae coincidit cum ea quāst: *An sit aliqua causalita-
s in humana natura respectu proprio personalitatis?*
Cui respondet Vasquez disp. 34. cap. 4. num. 15.
dicens, personalitatem non produci ab ipsa na-
tura, neque ab ea formaliter promanare, sed ef-
se tantum eius subiectum & materiam recipien-
tem, eo quod Deus producat vel conseruans
naturam, aut causa creata generans ipsam natu-
ram sit causa sufficiens personalitatis, sicut etiā
est causa sufficiens existentiae. Quam opinionem
Aluar. disp. 24. tribuit Med. sed immerito: is e-
nim dubio 2. perspicue docet generans per natu-
ram & essentiam rei genitae, tanquam per prin-
cipium & causam producere personalitatem, quae
est terminus ipsius naturae & essentiae, eo ferē
modo quo generans per naturam & essentiam
rei genitae, tanquam per principium quod pro-
ducit propriam passionem per simplicem quā-
dam emanationem &c.

Sed veritas est, naturam respectu propriae per-
sonalitatis duplicem habere causalitatem: Primō
materiam quatenus eam recipit tanquam sui
perfectionem & complementum, ab ea tamen
realiter distinctum; quia naturam complet, non
vt praecise natura est seu in esse naturae, sed vt in
esse personali constituitur; sicut materia com-
pletur per formam, non vt praecise materia est,
hāc enim rationem habet ex sui natura; sed ideo
completur quia per eam in esse completo sui to-
tius, tanquam pars eius in actu constituitur. Se-
cundo causalitatem etiam formalem seu principij
formalis habet natura respectu suae personalita-
tis, tanquam effectus eius secundarij. Primus e-
nim effectus naturae est dare esse essentiae com-
posito. Secundus autem effectus est substantia.
Qui duo effectus vna & eadem efficientis seu ge-
nerantis operatione, & in eodem instanti tem-
poris licet non naturae, producuntur: generans
enim seu producat substantiam compositam
vna & eadem intentione & operatione perfecta
producat essentiam substantiam & esse, ita vt
nunquam intelligatur agentis operatio com-
pleta, nisi postquam fuerit natura subsistens
& actu existens in rerum natura. Ex qui-
bus patet, falsam esse Vasquezij consequen-
tiam ex fundamento nobis & illi communi
deductam. Cum autem dicimus naturam esse

A causam materiam personalitatis: ac proinde
personalitatem habere causalitatem quandam
formalem respectu naturae: de tali personali-
tate scilicet creata, cui materialiter & quasi
per accidens est annexa dicta causalitas, ser-
mo est; nam si de personalitate vel subsisten-
tia vt sic loquamur, nullam habet respectu
naturae causalitatem, sed terminus purus est
vt saepe diximus. Reliqua ad hanc materiam
pertinentia, vide apud Cai. Med. & Aluar. locis
superius allegatis.

QUINTA Dubitatio est: *An si Verbum dimit-
teret humanitatem, ad eam absque noua actione per-
sonalitas sequeretur?* Hanc tertio loco proponit
& eruditē soluit Medina: & patet eius solutio
ex ijs, quae pro dubitationis praecedentis solu-
tione notata sunt: Quemadmodum enim lapis
sursum genitus ac detentus remoto prohibente
mouetur per se deorsum a generante eadem a-
ctione, qua lapidem in esse produxit: sic hu-
mana Christi natura Spiritus sancti virtute, coo-
perante Virgine matre genita, & priusquam
propriae personalitatis acciperet complemen-
tum, a Verbo praeventa & illi personaliter v-
nita, si remoto personalis illius vnionis vincu-
lo dimitteretur, vi praecedentis generationis
ad naturale suum complementum & terminum
properatis seipsam statim in propriam persona-
litatem explicaret.

SEXTA Dubitatio est: *An Christus Dominus sit
humana persona eiusdem rationis cum alijs personis
humanis?* Cuius plana ac vera solutio est, eius-
dem esse rationis & speciei; quia specifica ra-
tionis vnitas ex vnitate specifica naturae, non
autem suppositi, pensanda est, vt bene pro-
bat & declarat Medina in vltima sua Dubita-
tione.

SEPTIMA Dubitatio est: *An singula totius na-
turae partes propriam habeant substantiam, sicut &
ipsa tota natura?* Cui dubitationi Vasq. disp. 32.
negatiue respondet, & pluribus argumentis op-
positam Suarezij confutat opinionem & eius om-
nia diluit argumenta.

VLTIMA Dubitatio est: *An per Dei poten-
tiam absolutam possit aliqua substantia creata subsi-
stere sine substantia propria vel aliena?* quam bre-
uiter absoluit Aluar. disp. 25. sequens probabi-
lem sententiam Scoti & Cai. dicentis se nullam
videre rationem impossibilitatis, quare scilicet
non possit Deus naturam absque omni persona-
litate conseruare: cum actu tamen essendi mira-
culosē. Cuius tamen opposita sententia non mi-
nus videtur esse probabilis; quia non minus ad
naturam substantiae singularem positam extra
causas suas sequitur naturaliter ac necessariō
complementum & terminus, qui est subsisten-
tia, quam ad lineam in esse productam sequatur
punctus vt eius terminus, & quā ad corpus se-
quatur figura, & ad fundamentum relatio posito
termino, & ad hominem risibile: certum
est autem contradictionem implicare lineam
esse sine puncto, corpus sine figura, funda-
mentum sine relatione posito termino, & se-
cundū Caietanum subiectum esse sine pro-
pria passione; igitur etiam contradictio est
esse naturam substantialem sine substantia.
Probatur consequentia; quia non minus intima
est substantia naturae substantiali, quā
punctus lineae, figura corpori, & passio pro-
pria suo subiecto; cum substantia ad genus
substantialis naturae pertineat, & sit eius pro-
prium & vltimum complementum. Et con-
firmatur; quia sicut subsistere prout distin-

guitur contra inherere, conuenit substantiæ ex hoc ipso, quod non est inherens subiecto sicut accidens, ita subsistere prout distinguitur contra inexistere sicut pars in toto, conuenit substantiæ ex hoc ipso, quod est quoddam totum & nullius est actus pars; igitur implicat contradictionem naturam aliquam substantialem, quæ nullius sit actus pars existere, & propria carere substantia.

CONTROVERSIA VNICA.

An humana Christi natura habeat inclinationem seu appetitum naturalem ad propriam personalitatem?

Sententia
Doctorem.

VASQ. disp. 34. opinionem sequitur affirmantem, quam innominatis quibusdam authoribus tribuit Cai. qui contrariam tueretur sententiam, quam sequuntur Med. dub. 2. & Aluar. disp. 27. & videtur esse iam communis opinio.

Resolutio
Naturalem
appetitum
dupliciter
posse
considerari,
scilicet
secundum
rationem
actus
primi, &
secundum
rationem
actus
secundi.

SUPPOSITIS septem illis differentiis, quas in 1. p. q. 19. art. 1. constituimus inter appetitum naturalem & animalem; quatenus hoc vocabulo comprehenditur etiam appetitus intellectualis, Notandum est primum, naturalem appetitum dupliciter posse considerari: Vno modo, quatenus rationem seu modum habet actus primi: & hoc modo nihil aliud est quam ipsa rei natura vel etiam potentia secundum se considerata, & ut nondum actualiter tendens in assecutionem boni; sed quasi habitualiter tantum & in actu primo in illud inclinata: Alio modo potest idem appetitus considerari per modum actus secundi, prout scilicet iam actu tendit in assecutionem proprii boni: & hoc modo non est idem omnino formaliter cum ipsa rei natura vel potentia; sed est illius quasi actus secundus & operatio. Verbi gratia, grauitas lapidis est appetitus & inclinatio quædam lapidis naturalis in locum deorsum; grauitate autem idem est appetitus per modum actus secundi: & quia locus fursum non est lapidi connaturalis; sed violenter in eo detinetur; ideo lapis fursum detentus per grauitatem veluti actualem appetitum, non solum inclinatur per modum actus primi in locum deorsum, ut in bonum suum, sed etiam actu grauitando nititur vim prohibentis eius descensum euincere. E contra verò quamuis intellectus Deum videntis secundum se consideratus inclinatur appetitu naturali in omne verum; quia suapte natura tendit in verum naturaliter ab eo cognoscibile: hæc tamen inclinatio non inest ei, nisi per modum actus primi; quia diuina essentia clarè visâ continet eminenter omne verum naturaliter ab intellectu cognoscibile; & ideo nullam habet intellectus Deum videns actualem inclinationem seu tendentiam in tale verum per modum actus secundi, satiatio iam plenè intellectus appetitu naturali in vno perfectissimo visionis actu. Quemadmodum si materiæ Deus formam imprimeret, quæ formas omnes virtualiter contineret, nullam aliam in actu secundo aut quasi secundo formam appeteret, licet eandem semper materiæ naturam & singularum formarum capacitatem retineret; quæ veluti in actu primo dici posset eas appetere & in eas inclinari. Sic autem rationabiliter distingui posse naturalem appetitum patet ex simili distinctione Vasq. in allegata disp. 34. c. 2. dicentis, potentiam naturalem hoc ipso, quod caret suo actu & perfectione, ad ipsam comparari metaphoricè

A per modum desiderij & appetitus; cum autem illam habet comparari ad eam per modum delectationis: constat autem desiderium & delectationem in propria significatione actus esse animalis appetitus elicitos: similiter itaque distinguuntur in appetitu naturali modus actus primi & modus actus secundi, sicut in appetitu animali distinguuntur actus primus & actus secundus cum præsertim distinctio hæc ipsius appetitus naturæ congruat, ut ostendimus.

Secundo sciendum est, dupliciter aliquid eminenter in altero contineri: Vno modo completè & perfectè. Illud tantum hoc modo continetur in alio quod secundum omnia ad eius esse pertinentia potest ab eo causari: quo modo res omnes à Deo creatæ & ab eo creati possibiles in Deo continenter eminenter; quoniam ab eo solo qui est ipsum esse per essentiam, produci possunt, tam spiritualia secundum simplicem eorum naturam, quam materialia quo ad eorum compositam naturam & partes eam intrinsecè componentes, scilicet materiam & formam: Alio modo continetur aliquid in altero eminenter sed incompletè & imperfectè: quo modo in rebus creatis ea, quæ sunt inferioris ordinis aut gradus, continentur in ijs quæ sunt altioris ordinis siue gradus, prout explicauimus in 1. p. q. 57. a. 1. & 2. q. 55. a. 1. Et hoc modo diximus in allegata q. 57. a. 1. in rationali natura contineri vegetatiuam & sentiatiuam respectu animæ rationalis.

Tertio recolendum est, quod supra diximus, nimirum naturam esse principium formale suæ propriæ substantiæ vel personalitatis. Quod etiam probat Aluar. in alleg. disp. 27.

Quarto notandum est ex Cai. humanam Christi naturam dupliciter posse considerari: Vno modo secundum se siue præcisâ diuinâ personalitate cui actu coniuncta est, & sub hac ratione naturalis illi conuenit appetitus propriæ personalitatis, non solum ad modum actus primi sed etiam ad modum actus secundi, quia scilicet illum haberet non solum per modum actus primi, secundum quem non potest ab ea separari; sed etiam per modum actus secundi, nisi præuenta fuisset à diuinâ personalitate. Et quoniam humanitas Christi in assumptione consideratur secundum se, & ut nondum vnita Verbo; quia id quod assumitur ut ait S. D. præintelligitur assumptioni; ideo in illo priori intelligitur, ut inclinata naturaliter utroque modo in propriam personalitatem; ac proinde rectè est illa locutio D. Th. hic ad 3. Persona diuina sua vnione impediuit, ne humana natura propriam personalitatem haberet; ut hic etiam aduertit Cai. quia scilicet per impedimentum in præterito detentatur inclinatio naturalis conueniens humanitati secundum se: cui tamen ex tali impedimento nulla vis inferitur, ita ut violenta sit assumptio actiue aut passiue sumpta; quoniam actio assumendi non solum est impeditiua propriæ personalitatis, sed etiam excellenter consummatiua naturalis appetitionis eiusdem propriæ personalitatis; cum præsertim passum, quod est humana Christi natura, vim conferat obedientiæ huic actioni, quæ nomine assumptionis significatur: Alio modo potest humana Christi natura considerari, prout actu vnita est hypostaticè diuinæ personæ: & ita naturalem quidem habet inclinationem ad modum actus primi; quoniam hæc est ordo transcendens, qui est ipsa humanitatis essentia, ut suo complemento & naturali termino coaptata seu per naturalem capacitatem proportionata,

Humana.
Verbo vnita
habere incli-
nationem na-
turalem ad
modum actus
primi pro
pter vnionem
naturalem,
non autem ad
modum actus
secundi.

nata, quæ coaptatio capacitas & proportio cūm ad quidditatem pertineat humanitatis, impossibile est vt per assumptionem ad diuinam personalitatem ab ea separaretur: non tamen in ea remanet inclinatio per modum actus secundi ad propriam suam personalitatem, quod probat optimè Caiet. hoc argumento: Si potentia naturalis perficiatur per aliquid perfectius continens quidquid est in eo, ad quodd naturaliter inclinatur, non inclinatur amplius in illud: at potentia naturalis humanitatis ad terminari propria personalitate perficitur in Christo diuina personalitate, tanquam termino excellenter in se & in terminando continente quidquid habet creata personalitas; ergo appetitus naturalis humanitatis Christi assumptæ ad personalitatem diuinam per eam habitam satiatur & consummatè perficitur; ac proinde quiescit absque appetitu cuiuscunque alterius personalitatis. Maior probatur; Quia naturalis appetitus satiatur ex perfectiori continente illud, ad quod naturaliter tendebat; ergo. Probatur hoc antecedens; quia non minus est satiatus appetitus ex acquisitione illius perfectionis, quam fuisset satiatus ex acquisitione illius imperfecti, ad quod naturaliter tendebat; at si acquisiisset illud imperfectum, ad quod tendebat, iam fuisset expletus appetitus, nec amplius appeteret sed quiesceret in illo absque alterius appetitu; ergo si ponitur acquisiuisse illud, in quo continetur, quicquid in alio est, quiescet in illo absque alterius appetitu. Minor verò principalis argumenti probatur; quia persona diuina est infinita & in essendo & in terminando.

Resp. Sed resp. Vasq. negando maiorem; ad cuius probationem negat antecedens & ad eius probationem negat Maiorem; quoniam (inquit) appetitus naturalis solum conuenit potentie naturali ad naturalem formam, quæ est naturalis eius perfectio; & ideo appetitui naturali potentie naturalis adæquatè respondet forma naturalis: ad supernaturalem autem formam nequit esse appetitus naturalis; quia neque potentia naturalis esse potest. Reddit autem rationem Vasq. negationis dictarum propositionum ex differentia inter appetitum elicatum & appetitum naturalem; quoniam appetitus elicatus sequitur cognitionem, quæ mutatur ex possessione rei perfectioris, & ideo mutatur etiam appetitus; at naturalis appetitus nullam sequitur cognitionem; ideo &c.

Confirmatio Sed hac responsio non diluit argumentum, cuius vis in hoc posita est, quod appetitus naturalis oritur ex potentia, quatenus propria caret perfectione sibi debita, qua capacitas eius naturalis expleatur & satiatur; igitur, si fuerit ea capacitas altioris ordinis perfectione plenè satiata, nullus erit amplius in ea potentia naturalis appetitus per modum actus secundi, licet in ea remaneat per modum actus primi. Et hoc solum infert ea differentia, quam ex communi Philosophorum doctrina Vasq. assignat inter appetitum elicatum & naturalem. Deinde si non solum per modum actus primi sed etiam per modum actus secundi humanitas Christi inclinaretur in propriam personalitatem, sequeretur eam perpetuò sua naturali inclinatione frustrari, & violenter diuina personalitate subsistere. Probatur consequentia; quia violentum est id, cuius principium est extra passum non conferente vim, id est, resistente per naturalem inclinationem, vt patet in lapide sursum detento, qui grauitando semper resistit; & ideo violenter sursum

A detinetur: Si autem humanitas Christi naturalem haberet inclinationem ad modum actus secundi in propriam personalitatem, resisteret semper diuinæ personalitati, tanquam impediendi propriam & naturalem personalitatem; ergo violenter diuina personalitate subsisteret. Maior est Aristotel. Minor probatur; quoniam hoc ipso, quod humanitas Verbi personalitate terminata inclinatur in propriam, resistit diuinæ personalitati tanquam impediendi, ne possit propria terminari: cūm non possit humanitas vtraque simul personalitate terminari. Hoc argumentum fatetur Vasquez necessario ac euidenter concludere aduersus eos, qui censent propriam personalitatem ab ipsa natura provenire, tanquam a causa efficiendi vel formali: secundum autem opinionem eorum, qui dicunt naturam solum esse subiectum propriæ personalitatis & causam materiale illius, nihil omnino difficultatis habere; quia materiæ nulla vis inferri potest in eo, quod careat aliqua personalitate seu forma quamuis sibi naturali. Quam opinionem secutus Vasquez ad argumentum respondet negando sequelam. Ad cuius probationem negat minorem; ad cuius probationem negat assumptum, si loquatur de inclinatione per modum principij efficientis aut formalis; si verò sermo sit de inclinatione per modum causæ materialis, negat consequentiam; sed falsam esse opinionem illam cui nititur hæc responsio, patet ex ijs quæ supra diximus pro priori sententia asserente, naturam esse formale principium propriæ suæ personalitatis. Quam etiam optimo argumento confirmat Aluar. in alleg. disp. 27.

PRIMA CONCL. Humanitas vnita Verbo inclinationem habet naturalem ad modum actus primi in propriam personalitatem. Hanc conclusionem probant argumenta Vasquezij; quibus impugnat sententiam Caietani, & probatur etiam à simili; quia voluntas beata, quamuis summi boni fruitione satiatur, & nihil extra Deum actu desideret; eius tamen natura inclinatio quadam est in actu primo in omne bonum, tam in vniuersali, quam in particulari, sibi concupiscendum secundum rectæ rationis iudicium; igitur etiam appetitus humanitatis Christi, quo naturaliter appetit suam propriam personalitatem, licet diuini Verbi personalitate perfecte satiatur; atque ideo per modum actus secundi non inclinatur in propriam personalitatem; in eam tamen semper inclinatur ad modum actus primi; quoniam hic appetitus idem est, quod ipsa humanitatis essentia, vt propria personalitate terminabilis modo dicto; quatenus scilicet ex se vim habet eam naturaliter producendi, quæ per hoc non tollitur, quod humanitas diuina personalitate terminatur, vt patet ex communi Theologorum sententia cum D. Thoma dicentium: Si Verbum assumptam dimitteret humanitatem, propriam naturali consequo statim personalitatem habituram: quod esse nullo modo posset, nisi prædicta naturalis inclinatio ad modum actus primi, & quasi radicaliter, etiam post assumptionem ad vnitatem diuinæ personalitatis in ea maneret.

SECUNDA CONCLVS. Humanitas vnita Verbo non habet inclinationem per modum actus secundi in propriam personalitatem. Hæc conclusio patet ex dictis.

CONTRA secundam conclusionem sunt argumenta quæ referunt & soluunt Caiet. Med. & 2. concl. Aluar. loc. sup. not. Contra eandem concl. argum. Vasquez. Primum: quia inclinatio & appetitus na-

conclusiones, deductæ, & probatæ.

turalis non elicitus alicuius potentia ad suum actum per modum desiderij non est effectus aliquis elicitus, sed ipsamet potentia quatenus potest talem actum habere & non habet, sed humana natura, quantumvis consecuta fuerit altiorum actum nempe diuinam personalitatem, semper manet cum potentia nativa, ut habeat propriam; ergo interim dum illam non habet, etiam si habeat aliam quantumvis perfectiorem, comparabitur cum ea per modum appetentis & desiderantis illam. *Resp.* maiorem esse veram de inclinatione per modum actus primi: falsam autem de inclinatione per modum actus secundi. Hæc enim, licet non sit propriè actus elicitus, est tamen propriè actus secundus realiter distinctus à primo; sicut motus deorsum realiter distinguitur à gravitate: unde admissa minori, non sequitur nisi naturam inclinari naturaliter in propriam personalitatem, per modum appetentis in actu primo.

Secundo arguitur, quia materia prima etiam adepta forma rationali, quæ est omnium perfectissima, adhuc habet inclinationem & appetitum naturalem ad alias formas, cum tamen habeat formam omnium perfectissimam, quæ eminentiori quadam ratione ceteras in se continet; non quidem alia ratione, nisi quia potentiam habet ut illas habeat, & dum est sub anima rationali, eis priuata est; ergo eadem ratione humanitas dum est in personalitate Verbi, habet appetitum, licet diuina quam habet, sit perfectior; quia priuata est propriæ. *Resp.* falsam esse partem illam antecedentis, quæ dicit animam rationalem eminentiori quadam ratione ceteras in se formas continere; si de continentia completa sermo sit, ut patet ex notatis in secundo fundamento; si verò de continentia loquatur incompleta, negatur consequentia; quia diuina personalitas non incompletè sed completè continet gradum & perfectionem omnem creatæ personalitatis. Alio modo diluit Aluar. hoc argum. sed non videtur eius solutio plenè satisfacere.

ARTICVLVS III.

Vtrum persona diuina assumpsit hominem.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod persona diuina assumpsit hominem. Dicitur enim in Psal. Beatus quem elegisti, & assumpsisti, quod gloss. exp. ponit de Christo, Et August. dicit in lib. de agone Christiano, quod filius Dei hominem assumpsit, & in illo humana perpeffus est.

Præterea, Hoc nomen Homo significat naturam humanam. Sed filius Dei assumpsit humanam naturam. Ergo assumpsit hominem.

Præterea, Filius Dei est homo. Sed non est homo, quem non assumpsit: quia sic esset par ratione Petrus, vel quilibet alius homo. Ergo est homo, quem assumpsit.

Sed contra est autoritas Felicis Papa, & Martyris, quæ introducit in Ephesyna Synodo. Credimus in Dominum nostrum Iesum Christum de Virgine Maria natum: quia ipse est Dei sempiternus filius, & Verbum: & non homo à Deo assumptus, ut alter sit præter ipsum.

Respondendo dicendum, quod, sicut supra dictum est, illud quod assumitur, non est terminus Assumptionis, sed assumptioni præintelligitur. Dictum est autem, quod individuum, in quo assumitur humana natura, non est aliud, quam diuina persona, quæ est terminus Assumptionis. Hoc autem nomen homo significat humanam naturam, prout nata est in supposito esse: quia, ut dicit Damascenus sicut hoc nomen Deus significat

eum, qui habet diuinam naturam: ita hoc nomen homo significat eum, qui habet naturam humanam. Et ideo non est propriè dictum, quod filius Dei assumpsit hominem, supponendo (sicut rei veritas se habet) quod in Christo sit tantum vnum suppositum, & vna hypostasis. Sed secundum illos, qui ponunt in Christo duas hypostasies, vel duo supposita, conuenienter, & propriè dici posset, quod filius Dei hominem assumpsisset. Unde & prima opinio, quæ ponitur in 6. dist. 3. libr. Sententiarum, concedit hominem esse assumptum: sed illa opinio erronea est, ut supra dictum est.

Ad primum ergo dicendum, quod huiusmodi locutiones non sunt extendende, tanquam propriæ: sed pie sunt exponende, vbicunque à sacris Doctoribus ponuntur: ut dicamus hominem assumptum, quia eius natura est assumpta, & quia assumptio terminata est ad hoc, ut filius Dei sit homo.

Ad secundum dicendum, quod hoc nomen homo significat naturam humanam in concreto, prout scilicet est in aliquo supposito: & ideo, sicut non possumus dicere, quod suppositum sit assumptum, ita non possumus dicere, quod homo sit assumptus.

Ad tertium dicendum, quod filius Dei non est homo, quem assumpsit, sed cuius naturam assumpsit.

Sensus questii.

QVAESTIO hic non est de hac propositione formaliter: *Persona diuina assumpsit hominem*, in qua homo est prædicatum, sed est questio de re significata nomine hominis: *An scilicet assumpta fuerit à Verbo Dei? ut Caiet. aduertit circa resp. ad 2.* Cuius rationem affert; quia sub hoc quæsito cadit etiam illud: *An homo sit assumptus à filio Dei?* Vbi homo ponitur à parte subiecti: est igitur quæstio de re, & non de sola illa propositione. Nec tamen coincidit hæc difficultas cum ea, quæ definita est articulo præcedenti; sed est longè diuersa; quoniam ibi quæsiuit de persona formaliter & præcisè, sicut in articulo primo quæsierat de natura præcisè, & abstractè sumpta: hic autem quærit de natura humana concretè sumpta, prout significatur hoc nomine homo: quo nec sola natura nec sola personalitas; sed natura ut in habente vel suppositum ut habens naturam significatur. Posset etiam dici, questionem hic esse de modo loquendi; in re per hoc nomen, homo, significatur fundamentum habente: non est igitur hæc quæstio de vocibus, ut arbitratur Valquez dist. 35. in princip. sed de re, vel de modo loquendi in ipsa re fundamentum habente.

Forma Textus.

PRIMA CONCL. Non est propriè dictum quod filius Dei assumpsit hominem, supponendo (sicut rei veritas habet) quod in Christo sit tantum vnum suppositum & vna hypostasis. Probatur: Illud quod assumitur non est terminus assumptionis, sed assumptioni præintelligitur: at homo est terminus assumptionis & non præintelligitur assumptioni; ergo. Maior patet. Minor probatur: Quia hoc nomen homo significat humanam naturam, prout nata est in supposito esse; sed individuum seu suppositum, in quo assumitur & est humana natura, non est aliud quam persona diuina, quæ est terminus assumptionis; ergo homo est terminus assumptionis & non præintelligitur assumptioni, sicut terminus à quo.

SECUNDA CONCLVS. Secundum illos, qui ponunt in Christo duas hypostasies, conuenienter & propriè dici posset, quod filius Dei hominem assumpsisset. Probatur: quia prima opinio, quæ ponitur in 3. sent. dist. 6. concedit hominem esse assumptum: illa autem opinio ponebat in Christo duas hypostasies.

stases; quæ tamen est erronea, vt supra probatum est q. 2. a. 6.

Expositio Textus.

S. S. Patres, qui Deum aut Verbum assumpsisse hominem pronunciarunt recensent Medina, Suar. & Vasq. super hoc a. Cui dictio quatuor expositiones adhibet Medina; quæ tamen omnes huic propositioni, prout ab vnoquoque patrum inuenitur expressa, minimè congruunt, sed vna vel plures iuxta subiectam materiam & propositum eius, à quo profertur.

Vasquez hic vberem ac eruditam de veritate conclusionis disputationem instituit: cauenda tamen in eo est interpretatio eorum verborum Felicis papæ, quæ ex Synodo Ephesina refert S. D. in argumento, sed contra, illis enim sensum ei contrarium tribuit, quem S. D. intendit, sed legitimam eorum expositionem affert Suar. in Comment.

Vide præterea, quæ scribunt Cai. & Suar. circa responsiones ad argumenta.

ARTICVLVS IV.

Vtrum filius Dei debuerit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus indiuiduis.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod filius Dei debuerit assumere humanam naturam abstractam ab omnibus indiuiduis. Assumptio enim humana natura facta est ad communem omnium hominum salutem: unde dicitur i. ad Timoth. 4. de Christo, quod est Saluator omnium hominum, maxime fidelium. Sed natura, prout est in indiuiduis, recedit à sua communitate. Ergo filius Dei debuit humanam naturam assumere, prout est ab omnibus indiuiduis abstracta.

Præterea, in omnibus id, quod est nobilissimum, est Deo attribuendum. Sed in vnoquoque genere illud, quod est per se, potissimum est. Ergo filius Dei debuit assumere hominem per se. Qui quidem secundum Platonicos est humana natura ab indiuiduis separata. Hanc igitur debuit filius Dei assumere.

Præterea, humana natura non est assumpta à filio Dei, prout significatur in concreto per hoc nomen homo, vt dictum est. Sic autem significatur, prout est in singularibus, vt ex dictis patet. Ergo filius Dei assumpsit naturam humanam, prout est ab indiuiduis separata.

Sed contra est, quod dicit Damasc. in 3. lib. cap. 11. Deus Verbum Incarnatum non eam, quæ nuda contemplatione consideratur, naturam assumpsit: non enim incarnatio hoc, sed deceptio & fictio incarnationis esset. Sed humana natura prout est ab indiuiduis separata, vel abstracta, in nuda contemplatione cogitatur: quia secundum seipsam non subsistit, vt ibidem Damasc. dicit. Ergo filius Dei non assumpsit humanam naturam, secundum quod est à singularibus separata.

Respondeo dicendum, quod natura hominis, vel cuiuscunque alterius rei sensibilis, præter esse, quod in singularibus habet, dupliciter potest intelligi. Vno modo, quasi per seipsam esse habeat, sicut Platonicus posuerunt. Alio modo, sicut in intellectu existens, vel humano, vel diuino. Per se quidem subsistere non potest: vt Philosophus probat in septimo Metaphys. quia ad naturam speciei rerum sensibilium pertinet materia sensibilis, quæ ponitur in eius diffinitione: sicut carnes & ossa in diffinitione hominis. Unde non potest esse, quod natura humana sit præter materiam sensibilem.

Si tamen esset hoc modo subsistens natura humana, non fuisset conueniens, vt à Verbo Dei assumeretur.

Primo quidem, quia assumptio ista terminatur ad personam: hoc autem est contra rationem forme communis, vt sit in persona: quia in persona indiuiduatur. Secundo: quia natura communi non possunt attribui, nisi operationes communes, & vniuersales: secundum quas homo non meretur, nec demeretur. Cum tamen illa assumptio ad hoc facta sit, vt filius Dei natura assumpta nobis mereretur. Tercio: quia natura sic existens non est sensibilis, sed intelligibilis. Filius autem Dei assumpsit humanam naturam, vt hominibus in ea visibilis appareret, secundum illud Baruch 3. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est. Similiter etiam non potuit assumi humana natura à filio Dei, secundum quod est in intellectu diuino: quia sic nihil aliud est, quam natura diuina: & per hunc modum ab eterno esset in filio Dei humana natura. Similiter non conuenit dicere, quod filius Dei assumpsit humanam naturam, prout est in intellectu humano: quia hoc nihil aliud esset, quam quod intelligeretur assumere naturam humanam. Et sic, si non assumeret eam in rerum natura, esset intellectus falsus. Nec esset aliud ista natura humane assumptio, quam fictio quadam incarnationis: vt Damasc. dicit.

Ad primum ergo dicendum, quod filius Dei Incarnatus est communis omnium Saluator, non communitate generis, vel speciei, quæ attribuitur natura ab indiuiduis separata: sed communitate causæ, prout filius Dei Incarnatus, est vniuersalis causa salutis humane.

Ad secundum dicendum, quod per se homo, non inuenitur in rerum natura: ita quod sit præter singularem, vt Platonicus posuerunt, quamuis quidam dicant, quod Plato non intellexit hominem separatum esse, nisi in intellectu diuino. Et sic non oportuit, quod assumeretur à Verbo, cum ab eterno sibi assuerit.

Ad tertium dicendum, quod quamuis natura humana non sit assumpta in concreto, vt suppositum præintelligatur Assumptioni: sic tamen assumpta est in indiuiduo, quia assumpta est, vt sit in indiuiduo.

Sensus questio.

DVO sunt in hoc quaesito termini præcipui, quorum alterum explicat S. D. in c. scilicet nomen illud abstractam; alterum explicat Caietanus scilicet verbum illud debuerit dicens eo denotari debitum congruentiæ, quem sensum, ait expressisse S. Tho. in introductione questionis: Vbi diuidendo articulos hunc ita proponit Vtrum fuisset conueniens, & c. at Suar. ait D. Th. voluisse docere modum Incarnationis in titulo propositum, & secundum se fuisse impossibilem, & ad finem Incarnationis, qui est redemptio nostra, esse ineptum & disconuenientem; & ideo titulum articuli sub illis verbis proposuisse; sed melius dicendum videtur, hic primario quæri conuenientiam vt patet ex secunda & vltima conclusione. Secundario verò possibilitatem, aut impossibilitatem: ex hac enim scilicet impossibilitate sequuntur euidenter inconuenientia, vt etiam Caietanus aduertit & patet ex prima probatione secundæ conclusionis: & ideo S. D. primam conclusionem de impossibilitate proposuit; quia conueniens esse non potest, quod Deo possibile non est: quod etiã videtur insinuassee Cai. in sol. sue i. dubitacionis: & quamuis duæ postreme probationes secundæ conclusionis inconuenientiam probent in ordine ad finem Incarnationis. Prima tamen eiusdem conclusionis probatio, & vltima conclusio cum sua probatione manifestè loquitur de conuenientia absolute, &

non solum in ordine ad talem finem.

PRAEMISSA distinctione respondetur quaesito quatuor conclusionibus.

Distinctio est: Natura hominis vel cuiuscunque rei sensibilis præter esse, quod in singularibus habet, dupliciter potest intelligi: vno modo, quasi per se ipsam esse habeat; sicut Platonici posuerunt: Alio modo sicut in intellectu existens vel humano vel diuino.

PRIMA CONCL. *Natura humana primo modo abstracta, id est per se ipsam habens esse, non potuit assumi à filio Dei.* Probatur; quia natura humana per se subsistere non potest, vt Philosophus probat in 7. Metaph. text. 26. & 27. ergo. Antecedens probatur; quia ad naturam speciei rerum sensibilium pertinet materia sensibilis, quæ ponitur in eius definitione, sicut carnes & ossa in definitione hominis; ergo non potest humana natura per se subsistere præter materiam sensibilem.

SECUNDA CONCLVS. *Si natura humana esset hoc modo subsistens, non fuisset conueniens, vt à Verbo Dei assumeretur.* Probatur tripliciter. *Primo:* quia assumptio hæc terminatur ad personam; ergo natura humana sic subsistens non posset assumi. Probatur consequentia: quia contra rationem formæ communis est vt sit in persona; ergo. Probatur hoc assumptum: quia forma communis in persona indiuiduatur. *Secundo* probatur conclusio; quia naturæ communi non possunt attribui, nisi operationes communes & vniuersales, secundum quas homo non meretur, nec demeretur; ergo non fuisset conueniens, vt à Verbo Dei assumeretur. Probatur illatio: quia assumptio ad hoc facta est, vt filius Dei in natura assumpta nobis mereretur. *Tertio* probatur: quia filius Dei assumpsit humanam naturam vt hominibus in ea visibilis appareret: at natura sic existens non est sensibilis sed intelligibilis; ergo. Maior probatur autoritate Scripturæ Baruch 3. de Verbo Incarnato dicentis: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.*

TERTIA CONCL. *Non potuit assumi humana natura à filio Dei, secundum quod est in intellectu diuino.* Probatur; quia per hunc modum humana natura esset ab æterno in filio Dei; ergo. Probatur sequela antecedentis; quia natura humana prout est in intellectu diuino, nihil aliud est quam natura diuina.

VLTIMA CONCL. *Non conuenit dicere, quod Filius Dei assumpsit humanam naturam, prout est in intellectu humano.* Probatur; quia hoc nihil aliud esset, quam quod Filius Dei intelligeretur assumere naturam humanam; ergo non conuenit dicere, &c. Probatur consequentia; quia si non assumeret eam in rerum natura, esset intellectus falsus; nec esset aliud ista naturæ humanæ assumptio, quam fictio quædam Incarnationis, vt Damascenus dicit lib. 3. c. 11.

Expositio Textus.

VIDENDA sunt, quæ subtiliter ac eruditè scribit Caiet. circa singulas ferè propositas conclusiones, & earum probationes, earum sensus aperiens & efficacitatem ostendens. Et quia Med. & Suar. expositionem Caietani reprehendunt circa propositionem illam: *Contra rationem formæ communis est, vt sit in persona:* ideo de eius intelligentia specialem proponemus Controversiam.

CONTROVERSIA VNICA.

De sensu illius propositionis. Contra rationem formæ communis est, vt sit in persona.

CAJET. tria dicit. *Primum* est rationem D. Tho. in qua assumitur illa propositio, non afferri ad monstrandum impossibilitatem assumptionis sed incongruentiam. *Secundum* est hunc esse dictæ propositionis sensum, videlicet: Contra rationem naturæ communis est, vt sit in persona humana: tali scilicet quales sunt personæ humanæ quas cognoscimus. Cuius dicti rationem affert ex D. Tho. quia contra rationem humanitatis sic subsistens est indiuiduari eo modo, quo apud nos natura indiuiduatur. *Tertium* est: Si humanitas esset separata, sequeretur vtrumque contradictorium: nam primò sequeretur eam non esse personam; quia ponitur esse tantum humanitas, in quo differret à naturis Angelicis, quæ non sunt tantum ipsæ, sed sunt habentes naturas suas. Deinde sequeretur eam habere personam; quia per se separatim subsisteret naturaliter: nec mirum (inquit) est vtrumque sequi contradictorium; quia antecedens implicat impossibilia.

Medina duo dicit. *Primum* est, sententiam Caietani non esse consonam rationi D. Thom. quia S. Thom. loquitur de natura communi, quam ponebant Platonici ab omni conditione materiæ segregatam, & quæ iuxta sententiam Arist. in 7. Metaph. text. 28. 31. & 45. non solum erat vniuersalis & communis in ratione exemplaris, sed etiam in essendo, & de hac (inquit) optimè procedit ratio D. Thom. videlicet quod naturæ communi ascribenda sunt operationes communes in quibus non reperitur ratio meriti, &c. *Secundum* est: Etiam si natura Angelica sit magis abstracta & immaterialior quam humanitas, nihilominus assumi potuisset naturam Angelicam singularem, eo quod est determinabilis per personalitatem; non autem humanitas abstracta ab omnibus conditionibus singularibus.

Suar. in Commentario tria dicit. *Primum* est, Caietanum dicere contraria. *Secundum* est D. Thomam in hac parte articuli voluisse ostendere impossibile esse assumptionem talis naturæ abstractæ, non solum quia impossibile est naturam illam sic existere, sed etiam quia haberet specialem repugnantiam cum assumptione; quia natura in communi, etiam si singatur existere, solum posset esse subsistens subsistentia in communi & non certa & determinata personalitate; quia in persona indiuidua non potest esse, nisi natura indiuidua: assumptio autè determinata est ad certam & determinatam personam. *Secundum* est facta ea hypotesi, sequi contradictionem, scilicet naturam illam fore vniuersalem non tantum in causando, sed etiam in essendo & prædicando, & fore indiuiduam; quia esset existens: & ex priori membro sequi illam naturam vt sic non esse assumptibilem nec personabilem nec principium operationum particularium &c. *Tertium* Angelicam naturam re vera non existere separatam, seu abstractam à singularibus; sed esse quandam indiuiduam & singularem naturam, non minus quam hæc humanitas.

BREVITER absolueda est hæc Controversia, quoniam expositores illi, cum in rei veritate sententiam approbent Caiet. in eo solum videntur ab eo dissentire, quod cum eius dicta minime per-

Resoluit. Explicat sensus dictæ propositionis.

perceperint, ea perperam interpretantur. Vt igitur eniteat perspicua veritas & appareat sensus dictorum Cai. & concilienter opiniones, quæ videntur esse discordes. *Notandum est primò ex D. Th. & Cai. 1. p. q. 13. a. 9. & de ente, & essentia, cap. 5. naturam aliquam dupliciter esse communicabilem: Vno modo secundum rem: huius autem communicabilitatis fundamentum est inuentio illius naturæ in multis in actu simultaneo, vt videre est in humana natura, aut actu successiuo vt dicitur de Foenice, aut in potentia tantum vt domus mille angularum, quæ fortasse nunquam edificabitur: Alio modo aliquid est communicabile secundum rationem tantum: hæc verò communicabilitas fundamentum habet in modo intelligendi nostri intellectus; quia nimirum intellectus noster res immateriales intelligit ad modum rerum materialium abstrahendo eas ab omni singularitate: Gabrielem enim intelligit, non vt est hoc suppositum singulare, sed vt natura quædam est specifica abstrahens ab hic & nunc & ab omni singularitate: ac proinde, quatenus secundum rationem communis est & vniuersalis, & de multis eiusdem rationis indiuiduis prædicabilis, vt locis notatis explicat optimè Caiet. *Differunt autem hæc duæ communicabilitates seu communitates: primò quod prima est communicabilitas siue communitas simpliciter & absolute dicta: secunda verò non est communicabilitas siue communitas nisi secundum quid; quia nullum habet in re fundamentum sicut prima; sed in solo fundatur intellectus humani modo intelligendi. Secundò differunt; quia si natura primo modo communicabilis subsisteret, esset sola natura; & idèd propriè esset abstracta subsistens ad modum naturæ communis & vniuersalis; quoniam ex sui natura communicabilis est pluribus: natura verò secundo tantum modo communicabilis, puta natura Gabrielis est naturaliter abstracta subsistens; quoniam vt ait S. D. in secundo contra gent. cap. 93. substantiæ separatae sunt quædam quidditates subsistentes: sed non est abstracta subsistens; per modum naturæ communis; quia cum ex se sit hæc, repugnat ex sui natura communicabilitati, sed est abstracta per modum naturæ illimitatæ ac infinitæ secundum quid, omnem specificæ suæ perfectionis gradum & modum possibilem in se comprehendens; & consequenter vt modum habens indiuiduæ ac minimè participatæ naturæ. Ex hac sequitur tertia differentia, quod natura primo modo communicabilis non subsisteret in persona suæ quidditati conformi, quæ scilicet esset eiusdem rationis cum fjs, in quibus nunc actu multiplicatâ subsistit: natura verò secundo modo communicabilis subsistit in persona suæ quidditati conformi, quæ scilicet apta nata est spiritali naturæ conuenire. Quarta differentia est, quod impossibile est naturam primo modo communicabilem per se subsistere, quia duo sequerentur opposita, nimirum eam esse communem; quia ponitur in sua sola specifica ratione subsistens, & eam non esse communem, sed in persona determinatâ (quamuis alterius rationis esset ea personalitas ab ijs, quæ naturam humanam modo terminant) subsistentem: Natura verò secundo modo communicabilis omnino singularis est, & in propria ac sibi connaturali persona subsistit. Vltima differentia est, quod natura primo modo abstracta esset talis per essentiam propriè ac stricte loquendo: humanitas enim subsistens esset humanitas per essentiam, & albedo subsistens esset albedo per essentiam, & nihil habe-**

ret adiunctum quod non esset realiter ipsa natura: natura verò secundo modo abstracta, vt natura Gabrielis propriè & absolute loquendo non est talis per essentiam, quia multa sunt illi coniuncta, quæ non sunt idem realiter, quod ipsa natura, vt potentiæ habitus operationes personalitas & existentia; est tamen quodammodo talis per essentiam; prout scilicet esse tale per essentiam distinguitur contra esse tale limitatè & participatiuè. Videnda sunt quæ diximus in 1. p. q. 4. in Dubit. de esse subsistenti. Et q. 44. a. 1. Contr. vnicæ, §. Tertiò, vt eluceat. Et q. 50. a. 1. in secunda Controuerf. Vbi mentem nostram clarius explicauimus.

Ex his patet primò veritas singulorum dictorum Caiet. Nam primariò quidem intendit probare S. D. assumptionis incongruentiam: sed secundariò & in ordine ad hanc probat etiam inconuenientiam. Deinde patet etiam humanitatem sic subsistentem aliquam rationem habituram suppositi vel personæ, licet alterius rationis esset illa personalitas ab ea, quam nunc habet humanitas in indiuiduis, nec esset realiter ab ea humanitate distincta; quoniam, vt diximus, humanitas sic abstracta esset tantum humanitas, & nihil extraneum haberet adiunctum. Præterea patet ex abstractione dictæ naturæ duo sequi contradictoria: sequeretur enim eam esse in persona indiuidua; quia esset realiter subsistens; & sequeretur eam non esse in persona indiuidua; sed tantum vniuersali; quia natura esset vniuersalis, cui vt sic repugnat esse in persona particulari.

Secundò patet dicta Med. & Suar. in rei veritate non esse dictis Caiet. contraria, vt ex singulorum collatione facillè posset ostendi.

Tertiò patet sensus illius propositionis D. Tho. Contra rationem formæ communis est, vt sit in persona: intelligenda est enim de esse in persona indiuidua & determinatâ: hoc enim repugnat formæ communi vt communis est; quia forma communis ex eo, quod in persona est, indiuiduatur, & definit esse communis.

Postremò patet solutio argumentorum quæ ex dictis Med. & Suar. formari & produci possent contra Cai.

ARTICVLVS V.

Vtrum filius Dei naturam humanam assumere debuerit in omnibus indiuiduis.

Ad quintum sic proceditur. Videtur, quod filius Dei humanam naturam assumere debuerit in omnibus indiuiduis. Illud enim, quod prius, & per se assumptum est: est natura humana. Sed quod conuenit per se alicui naturæ, conuenit omnibus in eadem naturæ existentibus: ergo conueniens fuit: vt natura humana assumeretur à Dei Verbo in omnibus suis suppositis.

Præterea, Incarnatio diuina processit ex diuina charitate, vnde dicitur Ioann. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret. Sed charitas facit, vt aliquis se communicet amicis, quantum est possibile. Possibile autem fuit Filio Dei, vt plures naturas hominum assumeret (vt supra dictum est) & eadem ratione omnes. Ergo conueniens fuit, quod Filius Dei assumeret naturam humanam in omnibus suis suppositis.

Præterea, Sapiens operator perficit opus suum breviori via, qua potest. Sed brevior via fuisset, si omnes homines assumpti fuissent ad naturalem filiationem, quam quod per vnum filium naturalem multi in adoptionem filiorum adducantur: vt dicitur Gal. 4. Ergo bre-

go humana natura debuit à Filio Dei assumi in omnibus suppositis.

Sed contra est, quod Damasc. dicit in 3. lib. c. 11. quod Filius Dei non assumpsit humanam naturam, quæ in specie consideratur: neq. enim omnes hypostases eius assumpsit.

Respondeo dicendum, quod non fuit conueniens, quod humana natura in omnibus suis suppositis à Verbo assumeretur. Primo, quia tolleretur multitudo suppositorum humane nature, quæ est ei connaturalis. Cum enim in natura assumpta non sit considerare aliud suppositum præter personam assumptam (vt supra dictum est) si non esset humana natura, nisi assumpta, sequeretur, quod non esset, nisi vnum suppositum humane nature, quod est persona assumens. Secundo, quia hoc derogaret dignitati Filij Dei Incarnati, prout est primogenitus in multis fratribus secundum humanam naturam, sicut est primogenitus omnis creaturæ secundum diuinam: essent enim tunc omnes homines æqualis dignitatis. Tertio, quia conueniens est, quod sicut vnum suppositum diuinum est Incarnatum: ita vnam solam naturam humanam assumpserit, vt ex vtraque parte vnitas inueniatur.

Ad primum ergo dicendum, quod assumi conuenit secundum se humana natura: quia scilicet non conuenit ei ratione persone, sicut natura diuina conuenit assumere ratione persone. Non autem conuenit ei secundum se, sicut pertinet ad principia essentialia eius, vel sicut naturalis eius proprietates: per quem modum conueniret omnibus eius suppositis.

Ad secundum dicendum, quod dilectio Dei ad homines, manifestatur non solum in ipsa assumptione humane nature, sed præcipue per ea, quæ passus est in humana natura pro alijs hominibus: secundum illud Roman. 5. Commendat autem Deus suam charitatem in nobis: quia cum inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est: quod locum non haberet, si in omnibus hominibus naturam humanam assumpsisset.

Ad tertium dicendum, quod ad breuitatem viæ, quam sapiens operator obseruat, pertinet, quod non faciat per multa, quod sufficienter potest fieri per vnum. Et ideo conuenientissimum fuit, quod per vnum hominem omnes alij saluarentur.

Sensus quasi.

TITVLVM explicat optimè Caietanus & declaratur etiam à D. Thom. in corpore per ea verba: si non esset humana natura, nisi assumpta.

Forma Textus.

CONCL. est: Non fuit conueniens, quod humana natura in omnibus suis suppositis à Verbo assumeretur. Probatur tripliciter. primo, quia tolleretur multitudo suppositorum humane nature, quæ est ei connaturalis; ergo. Probatur antecedens cum inclusa consequentia: Quia in natura assumpta non est considerare aliud suppositum præter personam assumptam; ergo si non esset humana natura nisi assumpta, siue assumeretur in omnibus, in diuiduis, sequeretur quod non esset, nisi vnum suppositum humane nature, quod est persona assumens. Secundo probatur concl. quia hoc derogaret dignitati Filij Incarnati; ergo. Probatur antecedens; quia tunc omnes homines essent æqualis dignitatis; ergo. Probatur hoc assumptum; quia tunc Filius Dei non esset primogenitus in multis fratribus secundum humanam naturam, sicut est primogenitus omnis creaturæ secundum diuinam. Tertio probatur concl. quia conueniens

est vt sicut vnum suppositum diuinum est incarnatum, ita vnam solam humanam naturam assumpserit; ergo. Antecedens probatur; quoniam ex vtraque parte debuit vnitas inueniri.

Expositio Textus.

MEDINA vltimam probationem in duas diuidit. Aluarez prædictis tribus probationibus quartam adiungit ex responsione ad quartum. Quibus addi posset, quinta ex autoritate Damasc. in argumento sed contra. Vide præterea, quæ circa veritatem concl. breuiter aduertit Med. & quæ circa partem illam conclus. in omnibus suis suppositis notat Vafq. sumit enim hic S. D. supposita pro naturis singularibus, vt patet ex illis verbis: si non esset humana natura, nisi assumpta: videtur autem S. D. eo modo locutus: quia nunc de facto singulares omnes nature sunt in suppositis; vel dicas, hic sumi supposita pro subiectis prædicationis. Vide etiam ea, quæ scribit Caiet. circa responsiones ad argumenta.

ARTICVLVS VI.

Vtrum conueniens fuerit, quod Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adæ.

AD sextum sic proceditur. Videtur, quod non fuerit conueniens vt Filius Dei naturam humanam assumeret ex stirpe Adæ. Dicit enim Apost. ad Heb. 7. Talis decebat, vt esset nobis Pontifex segregatus à peccatoribus. Sed magis esset à peccatoribus segregatus, si non assumpsisset naturam humanam ex stirpe Adæ peccatoris. Ergo videtur, quod non debuerit de stirpe Adæ naturam humanam assumere.

Præterea, in quolibet genere principium nobilius est eo, quod est à principio. Si igitur assumere voluit humanam naturam. Magis debuit eam assumere in ipso Adam.

Præterea, Gentiles fuerunt magis peccatores, quam Iudei: vt dicit gl. ad Gal. 2. super illud. Nos natura Iudei, & non ex Gentibus peccatores. Si ergo ex peccatoribus naturam humanam assumere voluit, debuit eam magis assumere ex gentibus, quam ex stirpe Abrahæ, qui fuit iustus.

Sed contra est, quod Luc. 3. generatio Domini reducitur vsque ad Adam.

Respondeo dicendum, quod sicut Aug. dicit in 13. de Trin. c. 18. 10. 3. poterat Deus hominem aliunde suscipere, non de genere istius Adæ, qui suo peccato obligauit genus humanum: sed melius iudicauit de ipso, quod victum fuerat genere assumere hominem Deus, per quem generis humani vinceret inimicum.

Et hoc propter tria. Primo quidem, quia hoc videtur ad iustitiam pertinere, vt ille satisfaciatur, qui peccauit. Et ideo de natura per peccatum corrupta debuit assumi id, per quod satisfactio erat implenda pro tota natura. Secundo, quia hoc etiam pertinet ad maiorem hominis dignitatem, dum ex illo genere victor diaboli nascitur, quod per diabolum fuerat victum. Tertio, quia per hoc etiam Dei potentia magis ostenditur, dum de natura corrupta, & infirma assumpsit id, quod in tantam virtutem, & dignitatem est promotum.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus debuit esse à peccatoribus segregatus quantum ad culpam, quam venerat destruere: non quantum ad naturam, quam venerat saluare: secundum quam debuit per omnia fratribus assimilari, vt idem Apost. dicit ad Heb. 2. Et in hoc etiam mirabilior est eius innocentia, quod de massa peccato subiecta, natura assumpta tantam habuit puritatem.

Ad se-

Ad secundum dicendum, quod (sicut dictum est) oportuit eum, qui peccat a venerat tollere, esse à peccatoribus segregatum, quantum ad culpam, cui Adam subiacebat, & quem Christus à suo delicto eduxit: ut dicitur Sep. 10. Oportebat autem eum, qui mundare omnes venerat, non esse mundandum, sicut, & in quolibet genere motus primum mouens est immobile secundum illum motum: sicut primum alterans est inalterabile. Et ideo non fuit conueniens, ut assumeret humanam naturam in ipso Adam.

Ad tertium dicendum, quod quia Christus maxime debebat esse à peccatoribus segregatus, quantum ad culpam quasi summam innocentia obtinens, conueniens fuit, ut à primo peccatore usque, ad Christum perueniretur, medijs quibusdam iustis, in quibus præsulgerent quedam insignia futurae sanctitatis. Et propter hoc etiam in populo, ex quo Christus erat nasciturus, instituit Deus quadam sanctitatis signa, quæ inciperunt in Abraham, qui primus promissionem accepit de Christo, & circumcissionem in signum fœderis consummandi: ut dicitur Gen. 17.

Sensus quaestio.

POSTREMA tituli verba, nimirum ex stirpe Adæ posita sunt ad differentiam aliorum modorum, quibus poterat Deus ex infinita sua potentia & sapientia naturam aliquam humanam producere, & eam sibi personaliter copulare: Tres verò præcipuos modos recenset in expositione tituli Cai.

Forma Textus.

CONCLUSVS. est: Conueniens fuit, quod Filius Dei humanam naturam assumeret ex stirpe Adæ. Probatur primò in argumento, sed contra auctoritate Scripturæ Luc. 3. Secundò auctoritate Augustini lib. 13. de Trinitate, cap. 18. ut patet in textu. Tertio, probatur tribus rationibus. Prima: quia hoc videtur ad iustitiam pertinere ut ille satisfaciatur qui peccauit; ergo de natura per peccatum corrupta debuit assumi id, per quod satisfactio erat implenda pro tota natura. Secunda ratio est: quia hoc pertinet ad maiorem hominis dignitatem; ergo. Antecedens probatur; quia sic victor diaboli ex illo genere nascitur, quod per diabolum fuerat victum. Tertia ratio est; quia per hoc Dei potentia magis ostenditur; ergo. Probatur antecedens; quia filius Dei assumendo naturam humanam ex stirpe Adæ assumpsit de natura corrupta & infirma id, quod in tantam virtutem & dignitatem est promotum.

Expositio Textus.

Vide pulchram & excellenti Theologo dignam speculationem Caiet. circa secundam rationem D. Tho. & ea quæ notat Porrecta circa respons. ad 3. & in appendice: Cætera perspicua sunt.

QVAESTIO QVINTA.

De modo vniõis ex parte partium humana naturæ in quatuor articulos diuisa.

Deinde considerandum est de assumptione partium humane naturæ.

Et circa hoc queruntur quatuor.

Primò, utrum Filius Dei debuerit assumere verum corpus.

Naz. in D. Tho. 3. partem

Secundò, utrum assumere debuerit corpus terrenum, scilicet carnem & sanguinem.

Tertio, utrum assumpsit animam.

Quarto, utrum assumere debuerit intellectum.

Ratio ordinis.

NOTIORIBVS secundum ordinem cognitionibus supernaturalis huius mysterij, quod ex assumpta carne dicitur Incarnatio procedens S. D. in hac quaestione de modo vniõis ex parte partium humane naturæ, inchoat à corpore proponens primò quaestum in vniuersali in 1. a. 2. magis in particulari in 2. a. Deinde in 3. art. quaestionem mouet de anima in communi. Postremò specialiter querit de anima rationali in ult. a. singulos articulos singulis opponens hereticorum delirij.

ARTICVLVS I.

Utum filius Dei debuerit assumere verum corpus.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod Filius Dei non assumpsit verum corpus. Dicitur enim Philip. 2. quod in similitudinem hominum factus est. Sed quod est secundum veritatem, non dicitur esse secundum similitudinem: ergo Filius Dei non assumpsit verum corpus.

Præterea, Assumptio corporis in nullo derogauit dignitati diuinitatis: dicit enim Leo Papa in sermone de Nat. quod nec inferiorem naturam consumpsit glorificatione, nec superiorem minuit assumptio. Sed hoc ad dignitatem Dei pertinet, quod sit omnino à corpore separatus. Ergo videtur, quod per assumptionem non fuerit Deus corpori vnitus.

Præterea, Signa debent respondere signatis. Sed apparitiones veteris Testam. quæ fuerunt signa apparitionis Christi non fuerunt secundum corporis veritatem, sed secundum imaginariam visionem: sicut pater Isais 6. Vidit Dominum sedentem, &c. Ergo videtur, quod etiam apparitio filij Dei in mundo, non fuerit secundum corporis veritatem, sed solum secundum imaginarietatem.

Sed contra est, quod dicit Aug. in lib. 83. qu. Si phantasma fuit corpus Christi, fessellit Christus. Et si fessellit, veritas non est. Est autem veritas Christus. Ergo non fuit phantasma corpus eius. Et sic patet, quod verum corpus assumpsit.

Respondeo dicendum, quod sicut dicitur in libr. de Ecclesiasticis dogmatibus, natus est Dei Filius, non putatus, quasi imaginatum corpus habens, sed corpus verum.

Et huius ratio potest tripliciter assignari. Quarum prima est ex ratione humane naturæ: ad quam pertinet verum corpus habere. Supposito igitur ex præmissis, quod conueniens fuerit filium Dei assumere humanam naturam, consequens est, quod verum corpus assumpsit. Secunda ratio sumi potest ex his, quæ in mysterio Incarnationis sunt acta. Si enim non fuit verum corpus eius, sed phantasticum; ergo nec veram mortem sustinuit: nec aliquid eorum, quæ Euangelistæ de eo narrant, secundum veritatem gessit, sed solū secundum apparentiam quandam. Et sic etiam sequeretur, quod non fuerit vera salus hominis subsecuta: oportet enim effectum causæ proportionari. Tertia ratio potest sumi ex ipsa dignitate personæ assumptis: quæ, cum sit veritas, non decuit, ut in eius opere aliqua fictio esset. Vnde, & Dominus hunc errorem per seipsum excludere dignatus est, Luc. ult. cum discipuli conturbati, & conterriti, putabant se spiritum videre, & non verum corpus: & ideo se eius palpatum præbuit, dicens: Palpate, & videte: quia